DISPUTATIONIS DE POTESTATE ECCLESIASTICA PARS PRIMA, SEcunda & Tertia,

IN MOGUNTINA ACADEMIA ANNO M·D.LXXXVI AD MARtij á Petro Thyræo Doctore & Professore Theologo Societatis IESV publicè propositæ.

AD QVAS RESPONSVRVS EST ERVditus Artium & Philosophiæ Magister Rutgerus Randenburgh Bortorpius Sacræ Theologiæ studiosus.

Ad Rom. 13.
Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit.

Moguntiæ excudebat Casparus Behem Anno Salutis. 1586.

SALVTARIS

CALICEM



ACCIPIAM,

ET NOMEN DOMINI INVOCABO.

Dulce tuum nostro scribas in pectore nomen;
Namq; tuo constat nomine nostra salus.
Illi triste nihil cadit vnquam, mitis IESV,
Qui velit vsque tui nominis esse memor.

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. D. IOANNI ELECTO ARGENtinensi Episcopo, per Alsatiam Comiti Prouinciali &c. Domino ac Patrono suo Clementissimo.



AXImam grauissimamque in Christiana Rep. nostris temporibus perturbationem esse, Princeps Illustrissime, nemo nō videt. Et quidem nonnulli alias atque alias huius caussas assignant; ego vero, quæ vel solæ incendium hoc excitarunt, vel certe inter alia præcipuum locum obtinet, duas esse arbitror. Harum prima est, quód sua singuli sorte haud contenti, aliorum, præter omnem æquitatem, iura inuadunt: altera; quod eos, quos Superiorum loco habere debent, non, qua par est, reuerentia & officio prosequantur. Quemadmodum enim hæ priuatas familias perturbant, fortissimos exercitus dissoluunt, bene institutas Ciuitates euertunt, & florentissima Regna exscindunt: ita non possunt non Ecclesiam Christi, quam ipse pulcherrimo ordine velut instructam quandam castrorum aciem instituit, confundere, & in summas difficultates conijcere.

Hinc est, quod omnibus retro temporibus, quandocunque afflictas Christianorum res vidimus, deprehendamus vel suum Superioribus ius negatum esse, vel aliena iura vsur-

ta vsurpata. Hoc mihi intellexisse inter alios videtur Gētium ille Doctor Apostolus Paulus, quocirca identidem fideles, vt in sua singuli vocatione permaneant, obedientiamque Præpositis præstent, hortatur.

An vero hæ caussæ in nostri temporis tumultibus desiderantur? num singuli sui viuunt sorte contenti; eosque, quos Superiorum loco habere debent, iusto honore prosequuntur? Duas in Ecclesia sua voluit esse Potestates Christus Seruator, alteram Ciuilem, alteram Ecclesiasticam: Ciuili fortunas atque subditorum corpora reliquit, Ecclesiasticæ animas commendauit. Illam voluit pacem tranquillitatemque externam procurare ac tueri; hanc salutem & futuræ vitæ bona promouere. Itaque quemadmodum Ecclesiasticæ non Rerumpublicarum administrationem commendauit; ita noluit ad Ciuilis Magistratus munus pertinere agnitionem & iudicium de Causis Religionis, inspectionem & emendationem Ecclesiarum, curam doctrinæ, quæ in Ecclesia traditur, ministrorum vocationem, atq; vt summatim dicam, Ecclesiæ gubernationem. Quid vero? an non turpiter has Potestates commisceri, & functiones confundi videmus? Voluit idem Seruator Ecclesiasticam illam multis de causis Ciuili esse superiorem, & ab omnibus obseruari. Tantum vero abest, vt plerique id velint intelligere, vt etiam nullo loco habeant, quos Duces atque Principes in regno suo Christus designauit. Quæ

cum

cum ita sint, Illustrissime Princeps, putaui me aliquid saltem pro Christianæ Reip: pace præstare; si hanc Disputationem de Potestate Ecclesiastica in lucem æderem, & quanta huius Potestatis dignitas sit, quæque eius præcipua munia, declararem. Quod si hic meus conatus multum prodesse non potest, spero non obfuturum. Volui vero eandem Illustrissimæ T. C. inscribere, quòd æquissimum censeam, vt is primos meorum Theologicorum studiorum fructus accipiat, cuius ego gratioso fauore & auxilio iam tertium annū in ijsdē studijs desudo. id vnū submissè obsecrās, vt, qua cœpit, eadē me meosq; conatus beneuolentia C. T. prosequatur. Christus Iesus princeps pastorū T. C. Ecclesiæ suæ quàm diutissimè incolumem seruet. Moguntiæ decimo sexto Februarij anni 1586.

Tuæ Cels.
humilis Cliens
Rutgerus Randenburgh Bortorpius.

AD LECTOREM.
IAMBICI SENARII.

Olim Gigantæas cohortes in polum
Tellus perosa cælites immiserat,
Vt aureos exscinderent Diuûm toros:
At impias cæli supremus arbiter
Compescuit vires caduco fulmine,

Di-

Ditisque regnis abdidit silentibus.
Nunc ore inuidens sacros Ecclesiæ
Fasces, potestatemque cœlo traditam,
Fidei Deoque inimica suscitat agmina,
Sublime Præsulum vt tribunal subruat.
Quisquis igitur Dei & sacrorum Antistitum
Contempta iura vindicas, en hic tibi
Libellus arma sufficit, queis impetus
Prohibere possis hostium, & cassas minas,
Donec Deus vindex abactum fulmine
Mœsto remittat Orco perfidum gregem.

SVMMA PRIORVM PARTIUM DISPVTATIONIS DE POTEstate Ecclesiastica.

In Prima Parte

Potestatis Ecclesiasticæ ratio & differentia, qua à Ciuili distinguitur, explicatur hoc ordine:

Docetur primò; Christi Ecclesiam esse ordinatam multitudinem; & in eadem reperiri duplicem Potestatem; Ciuilem scilicet & Ecclesiasticam. Cap 2.

Deinde exponitur multiplex, quæ inter vtramque Potestatem est, differentia; quæ partim ex causa efficiēte, partim ex subiecto, partim ex materia, partim ex fine atque medijs vtriusque Potestatis deprehenditur. Cap 3.

Tertiò

Tertiò denique demonstratur; vtranq; vsu differre: & licet in vnum conuenire possint; non tamen omnes eos Ecclesiasticam habere, qui in Ciuilibus negotijs Populo Christiano cum authoritate præsunt. Cap4.

In secunda parte

Expenditur Dignitas Potestatis Ecclesiasticæ; & ipsam Ciuili superiorem esse demõstratur,

Primùm argumentis desumptis ex natura, conditione atq; officijs vtriusq; Potestatis. Cap.5.

Deinde consensione omnis ordinis, atq; temporum, hominum, quorum sententiam oratio ipsorum, res gestæ, externa symbola, & maxima priuilegia Ordini Ecclesiast. concessa, declarant. C.6.

Tertiò diuina authoritate, quam & vetus Testamentum & nouum multis rationibus explicant. C.7

Post hæc subiungitur responsio ad Quæstionem, qua quæritur de Iure, quod Ciuilis Magistratus habere potest in Ecclesiasticorum hominum bona, personas, & causas. Cap.8.

In Tertia Parte

Ecclesiasticam Potestatem non esse penes prophanam multitudinem; sed sacros homines, demõstratur triplici ratione,

Primùm ex Christi voluntate de qua nobis ex nouo Testamento constat. Cap.9.

Secundo

Secundó, ex conditione personarũ Ciuilium & Ecclesiasticarum; quarum illa hunc Magistratum recusat, hæc admittit. Cap. 10.

Tertió, ex officijs Ecclesiasticæ Potestatis; quæ sunt inter alia,

Ius Vocandi idoneos Ecclesiæ Ministros. C. 11

Ius vocatos ordinandi. Cap. 12,

Ius eosdem cum Potestate mittendi. Cap. 13.

Ius prædicandi Euangelium. Cap 14.

Ius de controuersis fidei dogmatibus definiendi. Cap. 15.

Ius præscribendi formã cultus diuini. Cap. 16.

Ius administrandi Sacramenta. Cap. 17.

Omnia hæc, quia ad Ecclesiasticos homines, & non ad prophanam multitudinem pertinent, magno argumento sunt Potestatem Ecclesiasticam sacris hominibus esse commendatam.



INTRODVCTIO IN DISPVTATIONEM DE PRÆCIPVA, QVAE IN ECCLESIA CHRISTI EST, POTESTATE.

CAPVT PRIMVM.

Status Controuersiæ exponitur.

CCLESIAE nomine non locum aliquem Deo dicatum, nec priuatum quendam Christianorum cœtum, neque tantùm eos, qui Ecclesiæ præsunt, neque solos Christianos, qui ab Episcopis & Parochis gubernantur; sed omnes omnino fideles, qui Christi legem & doctrinam complectuntur, vbicunque terrarum illi sint, intelligimus. 1


HORum nō vna omnium conditio est, licet professio sit eadem. Quidam ad æternam vitā sunt prædestinati, 2
quidam reprobi: quidam iusti, quidam iniusti. Indicauit hoc *Matt. 3.*
Baptista Ioannes, cùm in area Christi dixit & triticum esse *Matt. 25.*
& paleas. indicauit Dominus in parabola de decē virginibus *aduersus Lucif.*
partim fatuis, partim prudentibus. indicauit B. Hieronymus, quando vt in arca omnium animalium genera, ita in Ecclesia docet esse vniuersarum & gentium & morum homines.

SED nec eadem vtrorumque sunt studia. Sunt, qui (vt Eusebius habet) modesto coniugio, & sobolis procreatione implicantur, & rei familiaris curam assumunt, agros & mercaturam, aliumque magis ciuilem viuendi modum, adiuncta, 3 *lib. 2. demonst.*
religione, non negligunt: alij nec nuptias, nec sobolem, nec *c. 29.*
substantiam, nec opum facultatem requirunt, diuino cultui impensius addicti sunt. illos nunc plebem, nunc seculares,

nunc laicos, nunc populum dicimus: hos Ecclesiasticos, Spirituales, Sacros, & Clericos, quod ex reliqua turba quasi in mini partem selecti sint.

4 IN vtroque genere omnibus propemodum temporibus extiterunt non pauci. Veruntamen postquam nouam legem in mundum inuexit filius Dei, hominesque non, vt Moyses, terrenis, sed cœlestibus bonis ad honestatem & virtutum studia cœpit inuitare; hoc secundum quidam studiosius coluerunt.

5 VTRVM verò tam hi, quam illi certis legibus sub potestate aliqua viuant, an potius confusa quædam sint multitudo, in qua quisque sibi & lex & Rex est; & si sub potestate sunt, quænam illius conditio sit atque ratio, quæue quantaue authoritas, præsenti disputatione inquirendum est.



PRIMA DISPVTATIONIS PARS, QVA ECCLESIASTICÆ POTESTATIS ratio atque differentia explicatur.

CAPVT SECVNDVM.

Docetur Ecclesiam esse ordinatam multitudinem, & in ea reperiri duplicem potestatem, Ciuilem & Ecclesiasticam.

6 ORDINATA multitudo ex duobus pendet; ex diuersis partium studijs atque conditionibus; & obedientia inferiorum erga superiores. Exemplum sit castrorum acies quam

quam ordinatam dicimus, ſi ſua officia & functiones habeant magiſtri equitum, militum tribuni, ordinum ductores, quæſtores, centuriones, menſores, metatores, primipili &c. & interim omnes vnius Imperatoris ſententiam ſequantur.

PRIMVM ordinem in Eccleſia iam ſuperius aſsignata eorum, qui in ipſa conuerſantur, ſecularium Eccleſiaſticorumque conditio conſtituit. Non enim omnium, qui procreatione ſobolis implicantur, eadem ſunt ſtudia; neque etiam omnium, qui diuino cultui impenſius ſunt addicti, vna ratio eſt. Ibi colunt alij agros, alij mercaturam exercent, alij tractant arma: hic quidã à Deo conſtituti ſunt Apoſtoli, quidã Prophetæ, quidam Euangeliſtæ, quidam Doctores & Paſtores, in ædificationem corporis Chriſti. 7

At poteſtiorem eſſe in Eccleſia docet natura, quæ immutabili lege ſanxit, vt omnis multitudo, ſi ſubſiſtere debeat, neceſſariò per aliquid, quod principatum obtineat, gubernetur. Teſtantur hoc omnia, ſiue vniuerſam hanc machinam mente contempleris, ſiue in quamcunq; eius partem te conuertas. 8

TOTA hæc ſubcæleſtis diuerſiſsimorum corporum machina, cœleſtium virtute ſuſtinetur, vegetatur, & gubernatur. Inter orbes cœleſtes vnus eſt primus, ad cuius motum quaſi imperium omnes ſe componunt. Inter errantium ſyderum globos, velut in quodam exercitu, haud ſecus quàm dux quidam & Imperator, Sol medius incedit, reliquiſq; omnib. quaſi ratione vterentur, ſuorũ motuũ, progreſſuũ, regreſſuũ ſtationumq; certas leges, quas p̃uaricari non audeant, præſcribit. 9

SI corpoream machinam tranſcendas, inuenies Angelorũ maximam multitudinem in cœlo, & inter eos ſacræ præfecturæ quoddam genus, ipſorum naturæ conueniens: & quocunque modo inter ſe vel per claſſes diſtinguantur, vel per principatus, omnes tamen vni Deo parere, & à ſuperiorib. per medios vſq; ad infimos grad⁹ ritè omnia ordineq; prouenire. 10

11 SIC in brutis animantibus, quæcunque non degunt solitaria, sed aggregantur inuicem, natura ordinem aliquem docuit, & subsequi inuicem & præesse, ducemque sequi. Sic in singulis naturæ rerum partibus, si multitudo aliquorum est, in vnum conspirans ordo est, quo propemodum consistunt.

12 QVID quod in seipso quiuis hunc ordinem obseruare posit? Est in nobis multitudo, sed haud numerosa, si ad primas compositionis nostræ partes respicias: siquidem animo constamus & corpore: nec tamen hæc dualitas subsisteret, si non huic ille præesset imperio. totum corpus animi gerit negotium; illi iacet; illi stat; ad illius imperium maria scrutatur
13 & terras.

SI rursus singulas per se partes expendas, eundem licebit obseruare ordinem. Inter corporis membra natura vnū quasi præcipuum constituit, pro quo non dubitant cætera certo sese discrimini opponere. In partibus animæ ratio præest, subsequitur appetitus.

14 QVOD igitur in brutis animantibus, quod in animatis corporibus, quod in orbibus cœlestibus, atque adeo in ipsis supercœlestibus spiritibus est necessarium, & ab ipso rerum opifice diligentisimè sapientisimèque constitutum, id in Christi Ecclesia desiderabitur?

15 COMPARAT Ecclesiā scriptura regno, domui, castrorū aciei ordinatæ, naui, gregi. At nec regnū benè sine rege, nec domus sine patrefamilias, nec castrorum ordinata acies sine Imperatore, nec nauis sine rectore, nec grex sine pastore (qui quidem omnes imperij potestate pollent) fœliciter guberna-
16 tnr.

NON posset nō in fœdisimas seditiones, in cædes, in horrendos confusosque tumultus Christi regnum degenerare, si magistratus sustuleris, potestatesq; publicas, quæ cæteros in officio contineant: Quoniam, vt Origenes habet, principium

cipium malorum est multitudo & diuisio: quemadmodum principium bonorum vnio, & à turbis & multitudine in vnitatem redactio.

HINC benè Gregorius Nazianzenus. Sicut (inquit) in corpore nostro alia sunt membra, quæ regunt corpus, atque omnibus eius motibus præsident; alia, quæ reguntur & obsequium rectoribus præbent: ita & in Ecclesia statuit Deus, æquitatis eam legem dispensans: & per diuinam prouidentiam suam, qua vniuersa componit, meritorum temperans priuilegia, alios constituit regi & gubernari quibus hoc vtilius est, vt verbo & opere rectorum, ad id quod expedit, imbuantur: alios pastores dedit & Doctores ad perfectionem Ecclesiæ. Et hi (inquit) præ cæteris virtute animi præditi familiarius Deo assistunt, & id officij in Ecclesia gerunt, quod vel anima in corpore, vel mens & ratio operatur in anima. 17 *in Apolo. cur in pontũ fugerit.*

PORRO Potestas hæc, qua, qui in Christi sunt regno, reguntur, duplex est: Aliam nunc Ciuilem, nunc Secularem, nunc Naturalem dicimus: aliam Diuinam, Spiritualem & Ecclesiasticam. Cùm enim eorum, qui in Ecclesia degunt, conditio duplex sit, vt scilicet naturæ ius violare non debeant; & insuper gratiæ præsidio ad supernaturalem finem tendere; in vtroque verò superioris authoritate gubernentur; necesse est, vt, quam natura postulat, non excludatur Ciuilis; & admittatur, quam author gratiæ in Ecclesiam inuexit, Ecclesiastica Potestas. 18

CIVILIS quatuor genera possumus constituere. alia est parentum in filios, alia dominorum in seruos, alia maritorum in coniuges, alia Magistratus in subiectum sibi gregem. Hæc si sit penes populum, Democratia; si penes optimates, Aristocratia; si penes vnum aliquem, Monarchia dicitur. Priora tria genera, proprium inprimis quærunt bonum, posterius quartum commune totius Reip. sed tamen ita in illis proprijs commodis studetur, vt communitatis ratio magna habeatur. 19

In hoc priuatum quandoque bonum contemnitur, vt integrum sit & saluum communitatis

OMNIA hæc genera in Ecclesia reperiri posse docet ratio; reperiri debere dictat natura. Naturæ ius superius
20 in Spiritibus, in corporibus cœlestibus, in elementis, in ratione carentibus animantibus, & homine ipso obseruauimus.
Ratio dictat, vt, quos vitæ vel authores, vel duces, vel conseruatores habemus, obseruemus; eorum imperio pareamus; reuereamur authoritatem.

21 QVID quod etiam in Ecclesia reperiuntur? Vult Apostolus filios per omnia obedire parentibus; Vult mulieres
Colos. 3 esse subditas suis viris; Vult seruos cum bona conscientia ser-
Colos. 3 uire dominis carnalibus; Vult omnem animam potestatibus
Ephes. 6. sublimioribus subditam esse.
Rom. 13. IDQVE docet non tantum necessarium esse propter timorem pœnarum, quas necesse est incurrere, si imperata
22 recusemus; aut spem præmiorum temporalium, quæ obtemperantibus obtingere possunt: verùm etiam ob conscientiam. Quid ita? Quia filijs imperat obedientiam parentum, quod ita placeat Deo: seruis Dominorum, quòd Christo in illis obsecundent; mulieribus virorum, quòd ita oporteat in Domino fieri; subditis Regum atque Principum, quod Dei ordinationi resistunt, sibique damnationem acquirunt, qui eorum imperia excutiunt.

23 HANC tamen potestatem, hocque regimen in Ecclesiam non inuexit Christus. Cum hominum genere (si vnum Dominorum in seruos excipias) natum est & propagatum, & in Ecclesiam translatum: adeoque in omni bene instituta Repub. necessarium, vt sine ipso, non nisi miserrima Reipublicæ facies esse posit.

24 PRÆTER hanc Ciuilem aliam esse in Ecclesia Potestatem ex Christi oratione discimus. Nam Apostolos Apo-
Luca. 10. stolorumque successores vult, vt se, audiendos; eorum vero
Matt. 18. contemptores veluti Publicanos & Ethnicos habendos: quos tamen vel parentum, vel Dominorum, vel maritorum, vel seculares

alacris Magistratus loco esse nullus sanę mentis iudicauerit.

FECERAT ijsdem facultatem prædicandi Euangelium 25
in toto mundo, omnes salutari regenerationis Sacra- *Matt.* 28.
mento initiandi, elementa panis & vini in suum corpus & *Matt.* 26.
sanguinem trãsmutandi, peccata pœnitentibus remittendi, à *Ioan.* 20.
fidelium consortio immorigeros eijciendi, denique mortales *Matt.* 16.
ad regnum cœlorum admittendi. An forte Ciuilis Magistra-
tus hæc officia sunt? 26

QVEMADMODVM apud gentes alia potestas fuit eorum, qui Respublicas; alia qui Religionis cultum administrarunt; quemadmodum in veteri lege non idem Rex fuit & Sacerdos: Ita in Christi regno alia potestas collata Apostolis, alia qua Reges & huius seculi Principes funguntur.

VT vero potestas hæc Ecclesiastica esset, postulabat in- 27
primis ipsa Christianæ Reipub. à Christo instituta forma; quæ cum noua esset, nec quicquam ferè cum alijs haberet commune, nouis debuit & legibus & Regibus administrari.

POSTVLABAT hominum conditio, quorum cum du-
plicia bona procuranda essent; naturalia, siue illa essent 28
animæ siue corporis, siue fortunæ: & supernaturalia, quæ infinitis modis illa excedunt; cumque præcipuam curam priorum secularis Magistratus suscepisset, conueniebat, vt essent qui in posterioribus promouendis, suam operam Christiano populo locarent.

POSTVLABANT media, quib. Spiritualia illa bona ob- 29
tinentur; quæ (quia futura erant pharmaca præsentissima contra latentes animi morbos, & egregia animæ subsidia) ne vilescerent, non per quoscunque, sed per certos & definitos debuerunt administrari.

HAC potestate vsus est Christus, cum in terra communẽ
nobiscum vitam ageret: postquam vero peracto huma- 30
nę redemptionis sacramento ad cœlos gloriosus ascendit, eadẽ
Apost. delegauit & tradidit: quib. ob dictũ est, Qui vos audit: *Luce* 10.
me audit: Qui vos spernit me spernit Quęcũq; solueritis in ter *Matt.* 18.
ra soluta erũt in cœlo: Sicut misit me Pater & ego mitto vos. *Ioan.* 21.
Ite in orbẽ vniuersum, prædicate Euangeliũ õni creaturæ &c. *Matt.* 28.

31 SVCCESSERE Apostolis cum authoritate alij, atque ita quadam successione isthæc Potestas ad nos quasi per manus peruenit: nec finem habitura est, nisi postquam omnibus sibi subiectis Saluator Christus Dominus regnum tradiderit Patri.

CAPVT TERTIVM.

Multiplex differentia, quæ inter Ciuilem Potestatem est & Ecclesiasticam exponitur.

DVPLICEM in Ecclesia Potestatem deprehendimus,
32 Ciuilem & Ecclesiasticam. sequitur videamus, quod inter vtranque discrimen sit. Hæc partim ex Efficiente causa, partim ex subiecto, partim ex materia, partim ex fine atque medijs, quibus finis attingitur, cognoscitur.

EFFICIENS causa Ciuilis potestatis natura est, qua sola duce nullis diuinis vel humanis legibus instituti, intelli-
33 gimus, inferiores superioribus obedire debere, ijsq; nunc auxilium, nunc reuerentiam præstare, à quibus vel vitam, vel quietam vitam habent. Verum Ecclesiastica non naturam, sed Christum habet authorem. Sacerdotij ius, inquit Chrysosto-
hom.4.in Isa. mus, è supernis descendit, scilicet à Christo; qui quemadmodum Ecclesiam fundauit atque instituit, ita leges modumq;, quibus gubernaretur, in eandem inuexit.

EX quo id primùm sequitur, apud multò plures Ciuilẽ illam gubernandi rationem, quàm hanc Diuinam reperiri. Cum enim illa naturam sequatur ducem, hæc Chri-
34 stum; apud quoscunque integra est natura, illa reperietur: hæc apud eos solos, qui Christi legem doctrinamque complectuntur, locum habebit.

Sequi-

SEQVITVR deinde vetustate Ciuilem præcedere. Ecclesiastica non nisi cum Christo fuit introducta & recepta: illa cum hominum genere nata & propagata, multis seculis Christum antecessit. 35

SEQVITVR tertiò, Ciuilis illius longè esse maiores & firmiores vires. Licet enim neutra finem, quamdiu hæc mundi machina subsistit, habitura sit, quia tamen Ecclesiastica à sola Christi pendet voluntate, sola Christi voluntate subsistit: illa quia naturæ ingenerata est, non potest nisi cum natura desinere. 36

VERVNTAMEN Ciuilis ita naturam habet authorem, vt interim Deum non excludat. Author est Deus naturæ; author quoque est regiminis quod naturam sequitur: Quemadmodum res producit, ita easdem in suos fines per media deducit. In ipso non solum sumus, in ipso quoque viuimus & mouemur. Hinc est quòd Apostolus omnem potestatem à Deo esse docuerit. 37 *Rom.* 13.

ITAQVE & Deum & naturam agnoscit authorem hæc potestas, sed naturam immediate, Deũ mediãte natura. Qd quia in diuinã illam siue Ecclesiasticã cõuenire nõ potest, vt quæ præter Christũ authorem agnoscit nullũ, fit, vt illius author natura, huius Christus esse dicatur. 38

HÆC prima, ab authore petita, differentia est: alteram subiectum, quod non idem vtrobique est, facit. Neque enim apud quoscunque Ciuilis esse potest, potest esse Ecclesiastica, quamuis fortè ciuilium negotiorũ administratio omnibus committi posit, qui Ecclesiasticorum curam gubernationemque suscipiunt. 39

NE Ecclesiastica potestas omnibus cõmittatur, partim lex diuina, partim humana prohibet. Atque vt de humana, &, quæ sola hominum nititur voluntate, loquamur nihil; certe, vt penes infideles, aut fœminas summa sit regiminis Ecclesiastici, fieri nulla ratione potest. 40

C De

41 DE infidelibus res manifesta est. Quis dignum censeat, vt fidelium infidelis curam suscipiat? eorum salus ijs commissa sit, qui salutis propriæ spem nullam habent? eos Christianis legib. imbuat, qui Christiani nominis, iurati sunt hostes?

42 NON sine consecratione ad hanc gubernationem patet aditus: siquidem diuina est, & solis naturæ viribus non perficitur. At infidelis cum Baptismatis Sacramento initiatus non sit, reliquis, quæ sine Baptismo non conferuntur, imbui non potest.

43 DE mulieribus minor difficultas est. Iam olim damnati sunt Quintiliani siue Priscilliani, Collyridiani atq; Acephali; qui ad Ecclesiasticam hierarchiam mulieres admisere runt. Silentium ipsis in Ecclesia imperat Apostolus Paulus. Ad Ecclesiasticum regimen nullas assumpsit Christus Nulla pro ipsis sunt veteris instrumenti exempla, nulla noui. Quas natura voluit subesse, indignum est dominari, & viris, in Ecclesiasticis præsertim negotijs, præesse.

Epiphanius in illorum hæres. 1. Corinth. 14.

44 SI mulierib. præceptū esset, inquit Epiphanius, sacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere. At non complacuit. Electi sunt Apostoli sacrificantes per terram Euangelium; & ab Apostolis constitutæ sunt successiones Episcoporum & Presbyterorum in Domo Dei, & nusquam mulier inter hos constituta est. Fuerunt quatuor filiæ Philippo Euangelistæ prophetantes, non tamen sacrificantes. In eandem sententiam loquitur Tertullianus. Non permittitur (inquit) mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre nec vllius viri muneris nedum Sacerdotalis officij sortem sibi vendicare.

hæres. 79.

De velandis virginibus.

45 ATQVE hoc est, quod ante vtrunque, Epiphanium & Tertullianum, Apostolorum constitutio habet: Non permittimus (inquiunt) mulieres docere, sed tantum orare, & magistros audire. Nam Magister ipse & Dominus Iesus Christus, cùm nos duodecim ad docendum populum gentesque misisset, nusquam mulieres misit ad prædicationem: quanquam non deerant. Erant, n, nobiscum mater Domini & sorores eius

lib. 3 cap. 6.

præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha,& Maria sorores Lazari,& Salome & quædam aliæ. Nam si necesse fuisset mulieres docere, ipse primus ijs quoque præcepisset,vt vnà nobiscum populum instituerent. Si enim caput mulieris vir est,nõ est æquum, vt reliquum corpus capiti imperet.

SED Diaconarum meminerunt Veteres.Diaconæ dictæ sunt, 46
non quod Ecclesiasticum aliquod munus obierint;sed quod Diaconorum fuerunt vxores:quemadmodum & Presbyteræ, & Episcopæ, & Subdiaconæ; quæ viros habuissent Presbyteros,Episcopos,Subdiaconos.Quod si à virorum ordine quædã nomina non habẽt,quemadmodum non habuisse ibenter concedimus,certè penes ipsos summam alicuius regiminis Ecclesiastici fuisse ꝓbari non potest. sed vel ob ætatẽ ita dictæ sunt, vel à functionib. nõ sacris,quas pro veteris Ecclesiæ cõsuetudine,pietatis studio,obibant.

PENES hos igitur (infideles dico atque mulieres) Ecclesiastica Potestas residere non potest:sed tamen potest Ciuilis. An non pro infidelibus in Potestate constitutis obsecrationes,orationes, postulationes, & gratiarum actiones vult fieri Apostolus?tantum abest, vt loco superiorum nolit haberi? Et B. Petrus nunquid vult subiecti sint Christiani Regi tanquam præcellenti, & Ducibus tanquam à Deo missis; qui tamen Christi erant persecutores? Et infideli Cæsari, quod eius est,an non docuit dandũ Dominus,quẽadmodũ & Deo,quod est Dei? 47 *1.Timot* 2 *1. Pet.*2. *Matth.*22.

SIC mulieres ad politici regni gubernacula sedere posse & quotidiana probat experientia, & veteres tam sacræ, quam profanæ omnium temporum testantur historiæ. Nondum exactis Iudicibus, Debora Prophetis iudicauit populum Dei post Ahod. Quo vero tempore imperium fuit penes Reges, annis fere septem præfuit Athalia. Post Babylonicam captiuitatem regnauit annis nouem, vt testis est Iosephus, Alexandra.Post Christum Pulcheria Augusta, vt custodem suæ castitatis haberet Martianum, eidem dedit, quod mortuo fratre 48 *Iudic.*5. 4. *Reg.*11. *lib.*

C 2 The-

Theodosio habebat, imperium. Cum Constantino filio regnauit apud Græcos Irene. Et quemadmodum hodie in Hispanijs, ita olim in Gallia regnum quoque ad fœminas transibat: Quæ consuetudo tandem per legem Salicam sublata est. Et hæc de secunda differentia.

49 *hom. 4. in Isa.* MATERIA etiam vtriusque potestatis non eadem est. Ciuilis corpora, & fortunæ; Ecclesiastica animi bona procurat. Regi (inquit B. Chrysostomus) corpora commissa sunt; Sacerdoti animæ: Rex maculas corporum remittit; Sacerdos maculas peccatorum.

50 HVIVS ratio ex quarta differentia, quæ finium est, petitur. Cum enim Ciuili propositum sit, vt præsentem vitam quietè transigamus; ad quod plurimum facit, si corpora & fortunæ bona nobis salua maneant: Ecclesiastica vero quærat, vt beata illa vereq; secura aliquando vita, quæ animæ fœlicitas est, perfruamur; debuit in illa prima corporũ fortunarumque ratio haberi, in hac prima animorum.

51 VERVNTAMEN quod hic quæritur præcipuè, illud ibi non excluditur; quin imo quemadmodum corpori bona fortunæ, animæ vero corpus deseruit: ita tranquillitati pacique communi à Magistratu Ciuili in Christi Ecclesia studetur, vt commodius per Ecclesiasticam potestatem animarum salus procuretur.

52. PORRO quemadmodum fines vtriusque potestatis diuersi sunt, ita oportet diuersa sint media, quibus fines obtinentur. Hæc enim cum finibus respondere debeant, à se discrepent, necesse est; si ipsi inter se fines non conueniant. Atq; hic quintum discrimen constituimus.

53 MEDIA hæc in Ecclesiastico regimine in quadruplici sunt rerum genere. Quædam ad fines dirigunt; quædam, vt fines obtineantur, vehementer adiuuant; quædam ad eosdem cogunt, quædã ipsos assequuntur. Omnia hæc, quemadmodum ipsi fines, vires naturales & humanas excedunt. Diri.

DIRIGVNT interalia Chriſti lex, ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, ſed tabulis cordis carnalibus. Siquidem lex Chriſti lux eſt; quam qui ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ, illius ſcilicet, quæ nunquam finem eſt habitura.

QVÆ ad finem conſequendum iuuant, ſunt Nouæ legis
Sacraměta, & noſtri Samaritani diuina pharmaca, qui- 55
bus partim animorum morbi tolluntur, partim robur ad
Chriſtiana officia ritè decenterque obeunda additur, partim
aduerſus noſtræ ſalutis hoſtes animus confirmatur.

COGVNT partim propoſita præmia, partim intentata
ſupplicia. Cum enim hominum conditio omnium ea-
dem non ſit, ſed quidam ingenui ſint & liberales; quidam a- 56
greſtes & ſeruilis animi; non iiſdem omnes rationibus ad ve-
ritatis ſtudium, ſalutemque quærendam inuitantur: illos
honeſtas ipſa, aut certè ſpes fructus; hos intentata ſupplicia
monent.

INTER præmia primum & præcipuum locum obtinet 57
æterna vita, quam hoc regimen ſibi præſtituit. Præter hác
vero beneficiorũ Dei multitudo & magnitudo, conſcientiarũ
item quies & tranquillitas, atque alia his ſimilia non parum
proſunt. At in ſupplicijs extremum medium, poſt gehennam
pœnaſq; inferni eſt excõmunicationis ſententia, qua à cõmu
nionione Sanctorum, à participatione Sacramentorum, & ab
Eccleſiæ ſuffragijs diuiniſque officijs rebelles & contumaces
excluduntur.

DENIQVE, quæ finem aſſequuntur, actiones ſunt ſuper- 58
naturales; Fidei, Spei & Charitatis. Quia enim ſine nobis ad fœlicem finem Deus nos non perducit; finis vero vires naturæ plurimùm excedit, neceſſe eſt ipſas quoque operationes viribus naturæ ſuperiores eſſe.

HIS medijs & vijs ad finem contenditur per Eccleſiaſticam poteſtatem. At Ciuilis longè inferioribus vtitur.
Dirigit ſuos in finem non diuina, ſed naturali atque humana 59

lege. Quibus in fine consequendo iuuentur, nulla suppeditat præsidia. Cogit quidem præmijs atque supplicijs, sed talibus, quæ ad corpora pertineant atque fortunas. Denique ijs operationibus finem assequitur, quarum natura principium est & 60 causa, nō quas diuinior quædam virtus produxit.

EX hac vtriusque Potestatis differentia, quæ qua præstantior sit, procliue est intelligere. Licet Ciuilis latius se diffundat; licet firmior sit atque valentior; licet cum hominum genere nata & propagata: longissimo nihilominus interuallo ab Ecclesiastica diuinaque distat.

61 HÆC singulariori Dei prouidentia constituta est; maioribus à Deo præsidijs atq; ornamentis est cumulata; præmium in ipsa non caducum atque intermoriturum, sed æternum & verè beatum est propositum. Quæ omnia aut non inueniuntur in Ciuili, aut, si inueniuntur, qua ratione Ecclesiasticæ deseruit, inueniuntur.

HINC egregiè B. Chrysostomus. Alij sunt (inquit) termini regni, alij Sacerdotij. Hoc (Sacerdotum) regnum illo 62 maius est. Neque enim ex ijs, quæ videntur, hîc declaratur Rex, neque è gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus est debet æstimari Rex Ille quidem ea, quæ sunt in terris, sortitus est administranda: cæterum Sacerdotij ius è supernis descendit. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Regi ea, quæ hîc sunt, commissa sunt; mihi cœlestia; Mihi cum dico, Sacerdotem intelligo, Verum de hac re post plura.

De verbis Isaiæ hom. 4.

CAPVT QVARTVM.

An Ecclesiastica atque Ciuilis potestas vsu differant, ita vt penes eundem vtraque nequeat residere, inquiritur.

Vnum

VNVM hoc capite explicandum est. Vtrum Ciuilis atq; Ecclesiastica Potestas differant non efficiente solum 63
causa, subiecto, materia, fine, atque medijs; verumetiam vsu; vt in vnum scilicet eundemque vtraq; conuenire non possit.

RATIO quidem postulare videtur, vt penes eundem vtriusque gubernacula non sint. Quoniam cùm Imperij atque Sacerdotij functiones variæ sint atque multiplices; hominis vero vnius vires ad vtrasque perficiendas sufficere non videantur: æquissimum est, vt cui Imperij sceptra commissa sunt, ab Ecclesiastici regiminis cura sit liber; & de imperio administrando non cogitet, cui gregis Christi cura concredita est. 64

ACCEDIT, quod inter se non parum vtriusq; functiones distent. Quid enim armis cum libris? quid stolæ cum baltheo? quid superpellicio cum ferreo thorace? quid togæ cum sago? quid castris cũ templo? quid gladijs cum verbo Dei? 65

HINC est, quod in omnibus ferè bene constitutis Rebuspub. non ijdem fuerint, quibus Ecclesiastica, & quibus politica gubernatio fuerit cõmissa. Quemadmodum cognouerunt alios esse Imperij terminos alios Sacerdotij: ita alijs censuerunt religionis cultum, alijs Imperij sceptra commendanda. 66

CERTE in Iudæorum gente, cum viribus iam plus atq; potentia posset, fines Imperij atque Sacerdotum distinxit Deus. Concessit Imperium tribui Iuda, Sacerdotium Leui: &, quibus religionis negotium commendauit, suis se iussit terminis continere, quemadmodum & Reges regni sceptris esse contentos. 67

VBI Noua Lex innotuit, non rerumpublicarum gubernatoribus, non Regibus, non Imperatoribus Ecclesiæ gubernacula Christus commisit. Reliquit illis, quod possidebant, Imperium; alios elegit, quos suæ Ecclesiæ præfecit: atque his, vt animorum curam susciperent, & cœlestibus 68
bonis

bonis homines imbuerent, demandauit; non vt fortunas singulorum, publicamque tranquillitatem tuerentur.

69 ITAQVE, quando suos cum potestate mittit, non instruit armis; non stipat milite, non munit gladijs; non ære grauat. Nihil tuleritis (inquit) in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Armat innocentia & patientia. Ecce, inquit, ego vos mitto, sicut oues inter lupos.

Lucæ. 10.

70 VERVM quamuis hæc ita sint, videaturque non paruum esse ornamentum in Christiana Repub. si suis singuli se finibus contineant: non tamen prorsus impossibile est, vt penes vnum eundemque vtrumque Imperium consistat. Quod dicimus, omnium temporum historiæ probant.

71 ATQVE vt rē quàm altissime repetamus: Melchisedech Rex fuit Salem, & quidem, teste Suida, annis centum & tredecim. Eundem vero Sacerdotio functum esse, & Dei religioni præfuisse, docent sacræ litteræ, & Patrum consensus confirmat. Sed & antiquissimus scriptor Iosephus testis est, ab eodem extructum esse templum toto orbe celeberrimum in quo veterum more incruenta sacrificia Deo Opt. Max. litârit.

Genes. lib. 1. ætate. 3. Genes. 14. lib. 6. de bello Iuda. c. vlt.

72 ET Moyses Sacerdos fuit. Moyses, inquit Propheta, & Aaron in Sacerdotibus eius: atque idem quadraginta annis Ducem & Iudicem egit Iudaici populi, & non Religionis tantum, verumetiam Regni cum summa potestate se administratorem fuisse rebus ipsis egregiè demonstrauit.

Psal. 98.

72 FVIT quoque summa Reipub. Ecclesiasticæ penes Samuelem atque Heli: vterque populo in his, quæ ad Deum pertinent, præfuit: Sed ijdem Rempub. Ciuilem plurimis annis administrârunt, & Imperij atque Sacerdotij iura non omnino dissidere, multis argumentis toti posteritati probârunt.

Reg. 1. &c.

Quam

QVAM sunt rebus egregiè gestis illustres Machabæi? quot bella pro aris & focis gesserunt? Quoties de hostibus triumphârunt? Si vero his Religio etiam credita non fuit, quibus quæso difficili illo atque periculoso rerum statu fuit? Maiores habuerunt tribus Iudam & Leui: illi Regnum, huic Sacerdotium erat commissum: Maiores Ecclesiastici atq; Politici Magistratus gubernatione expresserunt. 74 *Genebrardus 2. ætate 6.*

SED & Dominus iubet difficilia & ambigua, non solum inter lepram & lepram, verumetiam causam & causam ad Sacerdotum tribunal transferri. Nulla insuper apud Iudæos exercebantur iudicia, nisi duobus assidentibus Leuitis. Quam legem secutus Rex Iosaphat in Ierusalem Leuitas & Sacerdotes, qui in omni causa sententiam ferrent, constituit. 75 *Deut. 17. 2. Paral. 19.*

SI hæc tanquam vetera quis ad propositum parum facere arbitretur; scire is debet, non deesse in Christi lege exempla, quæ propositum argumentum confirment, & functiones Ciuilis Magistratus etiam viris Ecclesiasticis permitti posse demonstrent. 76

PRIMVS Apostolorum Petrus, cum in Ananiam & Saphiram grauissime animaduertit, an non tibi Ciuili Potestate vsus esse videtur? Et B. Paulus quando tradidit Sathanę in interitum carnis eum, qui fœdo se incæstus scelere polluerat, num Petri secutus est exemplum? 77 *Actu. 5. 1. Cor. 5.*

IDEM Paulus Ciuiles lites vult discutiendas & definiend. nō apud iniquos & p̄fanos, sed apud Sanctos, id est, Episc. vt exponit Concilium Carthaginense III. Idem censet non indignum esse, si de secularibus iudicent, qui Angelos sunt iudicaturi. Et Clemēs D. Petri successor negotium fratrum, quodcunque illud sit, vult apud Presbyteros Ecclesiæ iudicetur. 78 *1. Cor. 9. cap. 9.*

CVM spem in duobus gladiis aduersus Christi hostes poneret Petrus, vtriusque Potestatis apud se ius esse posse demonstrauit. At iussus est, dices, gladium recondere. Ita est: sed non iussus abijcere. Non iure gladij, sed vsu gladij priuatus est. De hac re pulchrè S. Bernardus. Iussus es, inquit, recon- 79 *Matt. 26. lib. de Conside. ad Eugenium.*

dere gladium, quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Conuerte gladium Tuũ in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi nõ tua manu euaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret is; dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus, Satis est; sed, Nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia; ille vero ab Ecclesia exercendus est. Ille Sa-
80 cerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc S. Bernardus.

QVAMOBREM nouum non est, nec cum veneranda antiquitate Maiorumque consuetudine pugnat, nec Christi sanctißimis legibus aduersatur; quod in Germaniæ quibusdam partibus, ijdem sunt, qui Ciuilem Rempub. admi-
81 nistrant, & qui Religionis Duces sunt, & capita.

ESTO, sint diuersæ functiones vtriusque Regiminis; sint alij regni, alij Sacerdotij fines; sed tamen non sibi prorsus aduersantur, non se sedibus exturbant. Quid, quod Politicum illud Ecclesiastico ancillatur? Quid, quod studia illius non pa-
82 rum promouet, ideoque fieri posit, vt per vnum atque eundem vtrunque commodißimè administretur?

SIT Rex quispiam, qui animum ad statum Ecclesiasticum adijciat, atque vbi sacris initiatus est, dignus inueniatur, cui Ecclesiastici Regiminis gubernacula commendentur: nunquid, quia Episcopus factus est, Regni sui debebit sceptra deponere? Quo quæso id iure? Non naturæ, quia hoc permisit Melchisedech, vt Sacerdos & Rex esset. Non diuino; quia Vetus habuit Moysen, Samuelem, Heli atque Machabæos; qui populi Duces Iudicesque fuerunt, & simul Religionis iura administrarunt. Nouum si non disertis verbis causæ nostræ patrocinatur, certè non aduersatur. Si humanum profertur, respondemus eius vires tantas non esse, vt contraria constitutione tolli non posit.

83 ADDO, vt penes vnum summa vtriusque Regiminis constituta sit, quandoque temporum conditio, & communis

nis populi Christiani vtilitas postulare posit. Melius nonnunquam ab vno, quam pluribus Respublica gubernatur: melius vnus aliquis, qua ratione, & animorum & fortunarum atque corporum bono consultum sit, potest perspicere. & qui rationes Ecclesiastici Regiminis optimè perspectas habet, quibus modis Politicum ad Ecclesiasticum accommodari debeat, facilius intelligit.

SI solis suis, id est, Ecclesiasticis terminis Potestas Prælatorum Ecclesiæ conclusa fuisset, nullumque ius gladij, nullamque in corpora fortunasque authoritatem habuisset; quam breui & nostris temporibus, & prioribus sæpe oppressa esset? Contemnitur hæc apud quosdam refractarios, quibus nec Religio, nec propria salus cordi est: verum vbi illam in patrocinium aduocat, & ad claues quoque gladium assumit, fit, vt officio suo posit facere satis, & salua integraque permaneat. 84

SED tamē quamuis idem Rex esse posit atq; Sacerdos, nō tamen quicunque Rex est, Sacerdos est; quemadmodum neque quicunq; Sacerdos est, Rex est. Agnouerunt Reges sibi imperium, agnouerunt Sacerdotes sibi Religionem commendatam. Non potest Rex priuata authoritate Sacerdotum munus suspicere: Non potest priuata potestate Sacerdos regni gubernacula inuadere. 85

DISTInctionem hanc prophanorum hominum ab ijs, qui diuinis officiis mancipati sunt, in veteri Synagoga Deus egregiè expresit. De Aaron & filiis eius notum est, vt separati sint à vulgo filiorum Israel, & sanctificati oleo vnctionis sancto, consecratique Domino. De Leuitis idem testatur vetus Scriptura. Tribum Leui (inquit Dominus Moysi) noli numerare, neque pones summam eorum in filijs Israel; sed constitues eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius; & quicquid ad ceremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia vtensilia eius. Quisquis externorum accesserit, occidetur. 86 *Num. 1.*

87 GRAuiſsime perſecutus eſt olim Deus eos, qui quamuis egregia dignitate eſſent illuſtres, in Sacerdotum iura

2. Para. 26. inuolarent. Teſtantur id Core, Dathan, Abiron, atque Ozias; Num. 16. quorum hic lepra percuſſus, quòd Sacerdotalis Ordinis munus vſurpare & ſuper altare thymiamatis incenſum offerre præſumpſit; illi Deo vltore vitam infœlici atque infami morte commutarunt, cum vaſa ſanctuarij nuda tetegiſſent, quod ſolis Sacerdotibus permiſſum erat.

88 IDEM exemplo ſuo teſtatur primus apud Iudæorum gentem Rex Saul, quem, quia functionibus Sacerdotum ſeſe

1. Reg. 13. immiſcuit, & holocauſtum obtulit, docet Samuel ſtultè egiſſe, mandata Dei non cuſtodiuiſſe; & fore, vt imperij dignitate, quam alioquin ſempiternum habiturus erat, cum ſummo dedecore priuetur.

89 QVARE pulchrè Ioſaphat Rex Iuda vtranque Poteſtatem diſtinguens, ad Leuitas & Sacerdotes dicebat. A-

2. Paral. 19. marias Sacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadias filius Iſmaël, qui eſt Dux in

2. Paral. 26. domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Pulchrè quoque ad Oziam regem Azarias Sacerdos, Non eſt tui officij, inquit, Ozia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, id eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium.

90 NOVA ſemper doctrina habita eſt, quæ Poteſtatē Eccleſiaſticam atque Ciuilem commiſcet, earumq́ue functiones confundit, quæque Eccleſiam, quam pulcherrimo ordine tanquam inſtructam quandam caſtrorum aciem Chriſtus inſtituit, confuſam multitudinem facit.



SECVNDA DISPVTATIONIS

PARS,

CAPVT QVINTVM.

Docetur ordinem esse inter vtranque Potestatem; & Ecclesiasticam Ciuili, sua natura, præstantiorem esse.

SEQVITVR vt, Postquam discrimen, quod inter vtranq; potestatem est, explicauimus; quis inter ipsas sit ordo, & quæ cui subiecta, definiamus. Neque enim idem omnium hac in re sensus est. Sunt, qui æquas vtriusque esse partes arbitrantur: Sunt, qui Politicæ Ecclesiasticam subijciunt: Sunt contra, qui illi Ecclesiasticam præferunt. Primi confusum quoddam Christi corpus effingunt; Secundi regno Christi Imperatorum sceptra anteponunt; Tertij rectius sapere videntur. 91

SI vtriusq; Potestatis authoritas par est, & neutra alterius legibus parere debet, quomodo domus Dei castrorũ quædam dicitur ordinata acies? An fortè ordinata acies est, in qua vnus Imperator non agnoscitur? in qua qui contraria præcipere possunt, reperiuntur? 92 *Cantic. 6.*

VNVM corpus, teste Apostolo, est Ecclesia. Vnum (inquit) corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus. At in corpore vno licet diuersa sint membra, diuersasque singula habeant functiones: tamen quemadmodum ipsæ sibi functiones; ita quoque membra deseruiunt, ordinemque à natura definitum obseruant. Quocirca necesse est & in Christi regno alteri altera Potestas deseruiat, quamuis vtraq; suos certos habeat fines, atq; functiones. 93 *1.Cor.10.*

IN triumphante illo beatorum spirituum regno sunt angeli potestate differentes; qui tamen iniuncta sibi munia decentissimo ordine obeunt, & fœlicissimè exequuntur. Et 94

in militante (quod quâtum fieri poteſt illud exprimit) hic ordo deſiderabitur? et non vna aliqua ſuprema Poteſtas reperietur, quam reliquæ audire debebunt?

95 POSTQVAM Poteſtates hæ diuina inſtitutione diuiſæ olim in veteri lege fuerunt, vna alterius authoritatem ſemper reuerita eſt; et quando opus fuit, illius imperia, quemadmodum oportuit, libenter excepit.

96 NON poſset non maxima in Chriſtiana Republica eſſe perturbatio, ſi, qui totius vniuerſitatis eſt perfectio, ordo tollatur; ſine quo non modo non Regna & Prouinciæ, ſed nec priuatæ quidem familiæ fœliciter adminiſtrantur.

97 ADDO quod & fines vtriuſque Poteſtatis ordinẽ quendam inter ipſas conſtituant. Non enim hi inter ſe ſunt contrarij; nõ ita diſsident, vt alter alteri ſubeſſe nequeat. Quocirca cum ex finibus forma Poteſtatis, qua Reſpublicæ adminiſtrantur, petenda ſit, qui inter fines eſt ordo, ordinem quoq; conſtituet inter ipſas Poteſtates.

98 EX hoc argumento alterum concludimus: Eos ſcilicet plurimum à veritate aberrare, qui Poteſtatem Eccleſiaſticam Ciuili ſubijciunt, illiq; omne ius in illam permittunt. Quid enim? AEquumnè eſt, vt futuræ vitæ bona, quæ Eccleſiaſtica quærit, præſentib. commodis, quæ in Ciuili præpoſita ſunt, deſeruiant?

99 DICTAT natura, vt corporalia deſeruiant ſpiritalibus: ſiquidem infinitis modis hæc illis præſtant. At Poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt; Dei quærit honorem, hominumque perpetuam ſalutem; Deum habet authorem; medijs, quibus ad finẽ pertingit, vtitur ſpiritualibus. Ciuilis ſimile habet nihil, præſentia ſectatur bona; ſequitur naturã ducem; & præter illa, quæ natura ſuppeditat, nulla præſidia ad finem ſuum conſequendum adhibet.

100 QVOD ſi functiones vtriuſq; Poteſtatis inter ſe conferamus, deprehendemus iuſtiſsimum eſſe, vt Ciuilis imperia

peria excipiat Ecclesiasticæ: Quoniam præterquam quòd hominum salutem egregiè illæ procurent & promoueant, earum quoq; ea est conditio, vt Ciuilis Magistratus quascunq; longissimè post se relinquant.

VT in corpore omnia membra vnius rationis & mentis imperio obedire debent, quia nihil est ipsa mente in corpore sublimius; sic in Ecclesia Christiana, (quæ instar humani corporis est) cū spiritualis Potestas tanquam mens & ratio præsideat, quæcunq; alia illi necessario subijcienda est. 101

NON potest leges præscribere à Deo institutæ Ecclesiasticæ Potestati Ciuilis: Potest præscribere Ecclesiastica Ciuili, quas necesse est suscipiat & exequatur (Rem exemplo docemus: Conuertitur ad fidem Rex aliquis infidelis. Non hic Christi leges ad sui Regni, sed Regni sui ad Christi, id est, Ecclesiasticæ Potestatis accōmodat) Iam verò si ea Potestas superior est, quæ cum alia coniuncta, suum ius saluum & integrum retinet, altera quippiam de suo remittente; quis non intelligit Ecclesiasticæ subiectam esse Ciuilem? 102 103

QVICVNQVE Christi fidem recipit, eo ipso Ecclesiasticæ Potestati se subijcit. Neque Rex est vllus, qui non promittat etiam se Regno potius cessurum, quàm quicquā, quod Ecclesiasticæ Potestati aduersetur, commissurum. Hoc ipso igitur, quo quisq; Christianus fit, supremam in Ecclesia profitetur Ecclesiasticam esse Potestatem.

NEGARI non debet, quin præficere sibi non posit infidelem Principem populus Christianus. Quis enim ferat, vt membra Christi præficiant sibi membra Diaboli? At quod ius præcipit, vt à Christianis non nisi Christianus; idem ipsum iubet, vt à Catholicis, non nisi Catholicus ad regni gubernationē assumatur. Quod si verò ex Catholico Hæreticus efficiatur, nunquid in Ecclesia Potestas erit, quà à Regni administratione talis amoueatur. At amoueri nō, nisi à superiori Potestate, potest: illa scilicet, cui cura animarū concredita est, quam Ecclesiasticā dicimus. Maior igitur quacunq; Ciuili est ipsa Ecclesiastica. 104

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Consensione omnis ordinis hominum probatur Ecclesiasticam Potestatem esse superiorem Ciuili.

105 QVOD naturam docuimus postulare, vt sub Ecclesiastica Ciuilis sit Potestas, id quoque omnium consensus, qui naturæ quædam vox est, demonstrat. Eius tria egregium præbent testimonium. Primum est, quod omnes de hac sacrorum hominum Potestate magnificè sentiant: Alterum, quod externis argumentis status eorum dignitatem testentur: Tertium, quod maximis priuilegijs ornarint.

106 QVI egregiè de huius ordinis hominibus senserunt, & in hominibus Ecclesiasticam Potestatem commendârunt, testes sunt omni fide maiores. Patriarchæ, Apostoli, SS. Patres, potentissimi Imperatores, Christianus populus, homines improbi; denique gentes barbaræ & vera fidei luce destitutæ. Priores fortè ingenuus pudor, & pietas in illam sententiam induxerit; posteriores, si non Ordinis dignitas, nescio quid mouere potuerit.

107 *Genes.14.* PATRIArcharum quemadmodum primus, ita sanctissimus est Abraham; qui quam præclare de hoc Ordine senserit, probat, quod à Melchisedech benedictionem acceperit, ac eidem decimas omnium spoliorum, de quatuor Regibus partorum obtulerit. Priori se illo inferiorem; posteriori Dei se loco eundem habere testatur.

108 *Hebre.7.* APOSTOLVS Paulus, vbi eiusdem Sacerdotis mentionem aliquando fecit, quàm egregijs coloribus illum depingit? Scio quòd Christi voluerit in ipso commendare Sacerdotium? sed tamen hoc argumentum ita tractat, vt simul in Sacerdotis laudē oratio instituta videatur. Vocat Dei summū Sacerdotem; censet Patriarcha longè inferiorem; à Patriarcha commemorat accepisse decimas.

109 IN eodem Ordine claruit Timotheus, eiusdem Apostoli discipulus: & huius apud nullum vult contemni authoritatem,

ritatem, etiamsi forte ob adolescentiam & frequentes infirmitates abiectior videri posset; huic, quā natura negebat, Ecclesiasticæ Potestatis dignitas addebat authoritatem. *1. Timot. 4.*

CVM præter omnem æquitatem in iudicio aliquando percussus esset idem Apost. atque ipsi, qui iniuriæ auror erat, male esset precatus; vbi Sacerdotem esse ab astantibus intellexit, statim errati veniam petijt, indignum iudicans vel improbissimo Sacerdoti iustissimam ob causam male precari. 110 *Acto. 23.*

DE B. Anthonio scribit Athanasius in eius vita, quod & Episcopis & Presbyteris quasi humilitatis discipulus, ad benedicendum se, caput submittere sit solitus. Refert Hieronymus, B. Marcum Euangelistam sibi pollicem præscidisse, ne in hunc ordinem, quo se indignum iudicabat, assumi posset. S. Francisci hæc dicitur fuisse oratio, prius ad osculandas se Sacerdotis manus accessurum, quam alicuius de cœlo delapsi angeli, si vterque in via sibi obuius fieret. 111 *proœm. super Marcum.*

MARTINVS Turonensis Episcopus à Valentiniano Imperatore inuitatus cum multis viris recumbentibus, prius poculum accepisset (in quo circumferendo honoris ratio habebatur) eo gustato Presbytero post se hauriendum porrexit; neminem ex omni illo conuiuarum numero digniorem decernens, cui secundum honoris locum daret, ne ipsum quidem Valentinianum. 112

B. Augustino Sacerdotes sunt sal terræ, lux mundi, lucerna accensa, ciuitas in monte posita, columnæ templi, lignum scientiæ in medio Paradysi positum, patroni & rectores terræ Angelorum, ciues Paradysi, Prophetarum filij, Patriarcharum cognati, Apostolorum successores, quibus datum est nosse mysteria regni Dei. 113 *serm. 36. ad fr. in herem.*

QVAM multis est B. Chrysostomus in Ecclesiasticorum hominum dignitate prædicanda? Docet in rerum cœlestium classem ordinemque referendos; omnem cœlestium rerum Potestatem illis à Deo concessam; manifestam esse insani- 114 *lib. de Sacer.*

E am

am tantum principatum despicere; sine ipso neque salutis, neque promissorum à Deo bonorum compotes nos fieri posse; ipsos Principibus atque Regibus magis reuerendos; Nihil esse purpuram, nihil diadema, nihil vestes aureas; omnia hæc vmbras esse, & vernis flosculis leuiora, si cum Sacerdotij dignitate conferantur.

115 ORDINEM hunc non cõtemnendum esse sanctissimus Martyr Ignatius pluribus, ex sacris litteris desumptis, exemplis demonstrat. Exemplis, inquam, Core, Datan, Abyron, & ducentorum quinquaginta hominum, qui, quod Sacerdoti Aaron se æquassent, terræ hiatu absorpti sunt: Populi Israelitici, qui ob postulatum Regem & reiectum Sacerdotem, grauem Dei expertus est iram: Salomonis, qui post Deum, docet sanctificandos Sacerdotes: B. Pauli, qui quod in improbum Sacerdotem grauius quædam dixisset, ignorantia se excusauit: Christi, qui vsque ad extremum vitæ diem summum seruauit Sacerdotibus honorem, quamuis illi nec timorem Dei, nec Christi cognitionem seruassent.

lib. 3. Epist. 9.

116 DOCET B. Gregorius Sacerdotes esse nobilissima Ecclesiæ membra, & quosdam inter homines Deos. Anacletus summum ipsis, & præcipuum censet honorem deferendum. Polycarpus ijs subiectos esse oportere, sicut Deo & Christo. Martialis in omnibus esse obediendum, tanquam à Deo constitutis Principibus. Ignatio & Alexandro honorabilius in Ecclesia nihil est Episcopis. Eosdem Clemens vult diligendos vt Pastores, metuendos vt Reges, honorandos vt Dominos. Eiusdem sententia tanto grauioribus supplicijs digni sunt, qui contra Sacerdotes insurgunt, & ipsis vel nutu oculorum aduersantur; quam qui contra Reges; quanto Sacerdotium regno præstat, & anima corpori. Ambrosius ipsorum sublimitatem nullis comparationibus putat posse æquari. Idem aliquando indignum iudicauit, vt qui locus Sacerdotum esset, eum etiam purpuratus Theodosius occuparet.

lib. 4. epist. 32.
Epistola. 1.
Ad Philip.
Ad Burdega.
Epi. ad. Smir.
Epist. 1
lib. 2. const. c. 24.
lib. 6. const. c. 2.
in pastoral.
Theo. l. 5. c. 17.

Sed

SED fortè hos in propria cauſa locutos cenſemus. Audiamus igitur, num ab horum Patrum ſententia diſſentiant Imperatores & Reges. Conſtantinus Magnus oblatos ab Epiſcopis accuſationis libellos noluit legere; quod de Dijs (ſic Sacerdotes vocabat) iudicare non debeant mortales Imperatores. Idem pijſsimus Imperator legem tuliſſe dicitur, qua plus honoris deferendum ſanxit Sacerdoti, quam vlli quacunque etiam dignitate excellenti. 117 *Ruff.l.1.c.2.*

LIBET aſcribere, quod de eodem recenſet Euſebius. Ipſe porrò, inquit, Imperator Dei miniſtros accerſere; cultu & obſeruantia honorificè complecti; & tum re, tum verbis tanquam viros Deo conſecratos humanitus excipere, & maxima beneuolentia proſequi cæpit. Quippe licet homines fuerint ipſius formæ habitu ad aſpectum abiecti, ab eo tamen non eius generis æſtimati ſunt: Sed quia non hominem, qui ſub aſpectum oculorum cadit; ſed Deum ipſum, qui in ipſorum animis inſidebat, conſiderare viſus eſt; illos ſuæ menſæ fecit participes; illos, quocunque iter capiebat, ſecum duxit; atque ea de re Deum, quem ſancte colebant, ſibi credidit fore propitium. Hæc Euſebius. 118 *In vita Conſt. lib.1.c.35.*

THEODOSIVS Auguſtus Mediolani ab Ambroſio, quod grauius in Theſſalonicenſes aduertiſſet, & Eccleſiæ aditu prohibetur, & publice reprehenditur. Sed vtrunque patienti fert animo, hoc ipſo declarans, quanta Sacerdotum dignitas eſſet; cui etiam, inſpectante populo, tantus Princeps cederet. 119

AN ab his aliud de Eccleſiaſtica Poteſtate Chriſtianus populus ſentire potuit? Si aliter ſenſit, vulgi iudicium nemo Patriarcharum, nemo Apoſtolorum, nemo Regum, nemo Eccleſiæ Doctorum ſententiæ præferet. Primis illis Chriſtianis hoc teſtimonium dat Apoſtolus, quod ſe tanquam Angelum Dei exceperint; & ſi fieri potuiſſet, oculos eruiſſent, ipſique dediſſent. 120 *Gal.5.*

121 RESTAT improborum pro huius Poteftatis dignitate afserenda teftimonium. Pro multis funt ferui Saul, qui etiam ab iniquifsimo Rege iufsi, manus in Dei Sacerdotes inijcere aufi non fuerunt. Maluerunt mori potius, quam miniftros Dei occidere: furentis Domini iufsioni reuerentiam prętulerunt Sacerdotum.

122 SIMILE exemplum prębet Clementinus Conftantij Imp. Præfectus, quod ad longum ex Ifidoro afscribimus. Ofius *lib. de illu-vir.* Cordubenfis Ecclefię Epifcopus poft longum fenium vetuftatis accerfitus à Conftantino Principe, minufq; perterritus metuens, ne fenex & diues damnaretur & exilium pateretur, illico Arrianæ impietati confenfit, cuius quidem vitam, vt meruit exitus crudelifsimus finiuit. Nam poft impiam Ofij præuaricationem dum S. Gregorius Eliberitanus Epifcopus in Cordubenfem vrbem iuxta Imperiale decretum fuiffet adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Ofius dicit Clementino Conftantij Præfecto Vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille, non audeo, inquit, Epifcopum in exilium mittere, nifi tu prius eum ab Epifcopatu deieceris. Vt autem vidit S. Gregorius, quod Ofius vellet dare fententiam, appellat Chriftum totis fidei fuæ vifceribus exclamans: Chrifte Deus, &c. Quibus dictis, ecce repente Ofius refidens faftu quafi Regalis Imperij, cum fententiam conaretur exprimere, os vertit diftorquens pariter, & ceruicem ac de fefsu in terram eliditur atq; ilico expirauit &c.

123 QVID, quòd Gentes, quibus tamen vlla religionis, vlla numinis cura extitit, non minus præclarè de hoc Ordine fenferint, & fummis Poteftatibus aut æquârint, aut prætulerint? *Alex. ab Ale. lib. 2. genialiũ dierum c. 8.* Apud Ægyptios ex Philofophis Sacerdotes, ex Sacerdotibus probatifsimus in Regem eligebatur. Apud Phœnices folus Sacerdos vefte auro & purpura varia manuleata ad imos pedes fluxa incedebat: idem tanquam fplendoris fignum & amplifsimam honoris pręrogatiuam coronam ex auro gemmifq; ferebat. Apud Athenienfes nullis præterquam Sacerdotibus candida licebat ferre calceamenta. Dodonei oraculi Pontifi-

ces

ces pedibus semper illotis erant, & tanquam sacrosancti super nudam humum cubare cogebantur. Romani leges duodecim tabularum interpretandi licentiam solis concedebant Pontificibus. In Aritia Artemisię Dianę Sacerdos Rex vocabatur. In Cumanis bis singulis annis gestabat diadema. In Meroē ea erat authoritate, vt nonnunquam misso nuncio necem Regi Æthiopiæ demandaret, nullo detrectante, aut mandatum iussionéue abnegante. Apud Germanos nulli verberare, aut vincire, aut animaduertere aliquando, nisi solis Sacerdotibus permissum fuit. Apud Gallos digni censebantur, quorum fidei publica & priuata committerentur.

ET profectò Gentes naturali ratione tanquam magistra
eò pertingere potuisse mirum est. In alijs autem qui ad 124
veri numinis agnitionem peruenerunt, non ita est nouum: siquidem multæ grauissimæq; causę esse potuerunt, quæ tam insignem in ipsorum animis parerent existimationem.

PRIMO cognouerunt Ordinem hunc à Deo institutum 125
esse, quoniam, vt B. Chrysostomus habet, non mortalis
quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis *lib.3. de Sacer.*
creata potentia; sed ipse Paracletus Ordinē huiusmodi disposuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, vt Angelorum ministerium animo conciperent.

COGNOVERVNT eos Dei vices in terra gerere. Quod 126
& olim exemplū Samuëlis reiecti docuit, quo se Domi- *1. Reg. 8.*
nus reiectum esse cōquestus est; & post Saluator probauit, quā- *Lucæ 10.*
do in Apostolorum voce se audiri; in ipsorum honore se honore affici; in contumelia sibi contumeliam inferri, in persecutione se persecutionem pati testatus est.

127
COGNOVERVNT tertiò ea ipsis beneficia commissa
esse, quæ nulli creaturarum quantumcunq; excellenti *lib.3. de Sa.*
concredita. Qui terram incolunt (inquit B. Chrysostomus) atq; in ea versantur, ijs commissum est, vt ea, quæ in cœlis sunt, dispensent: Iis datum est, vt Potestatem habeant, quam Deus optimus Max. neq; Angelis, neq; Archangelis datam esse voluit.

Neq; enim ad illos dictum est: Quæcunq; alligaueritis in terra, erunt alligata & in cœlo. Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atq; ad cœlos vsq; peruadit: vsque adeo, vt quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam? Quorumcunq; enim, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, Potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit: Cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem à Deo filio illis traditam. Nam quasi iam in cœlum translati, ac supra naturam humanam positi, sic illi ad principatum istum perducti sunt.

128 QVARTO cognouerunt egregia esse, quæ ab ipsis expectare possunt, commoda; Quæ illa? Quia per ipsos in lucem spiritualem eduntur; per ipsos gratia diuina confirmantur; per ipsos corporis & sanguinis Christi Sacramentis reficiuntur; per ipsos à peccatorum vinculis, quibus tenentur irretiti, soluuntur; per ipsos verbo Dei fouentur. Deniq; ipsos veluti quosdã mediatores habent apud Deũ; per quos causam suam agant, & Dei ad se beneficia transferant.

129 PORRO ex hac tanta omnium, quam de virorum Ecclesiasticorum Potestate habuerunt, opinione profectum est (quod eorundem dignitatem quoq; commendat, & quibusuis præfert) quòd dignissimum iudicàrint Maiores nostri, vt externa symbola essent, quæ status huius amplitudinem testarentur. In quo genere primum omnium continentia est, quæ cum propemodum diuina sit virtus, ijs inprimis fuit commendanda, qui supremum in terris locum Potestatemq; obtinerent.

130 EODEM pertinet, quæ in ipsis requiritur vitæ integritas atq; eruditio; de quibus sic habet B. Hieronymus, Tanta debet esse, inquit, conuersatio & eruditio Pontificis, vt omnes motus & gressus, & vniuersa eius opera notabi-

Super Si quis.

lia

lia sint. Veritatem mente cōcipiat, & eam toto habitu resonet
& ornatu; vt quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit
populorum.

EODEM, quam in vertice gestat, corona; quæ exemplo
D.Petri (vt testatur venerabilis Beda) in hunc Ordinē
inuecta est. Illa verò non tantum datur intelligi Ecclesiasticos 131
homines, humanis & superfluis rebus abiectis, diuinorum cō-
templationi vacare debere, aut Christi coronati personam su-
stinere: sed & regiam quandam, eamq; spiritualem Potesta-
tem obtinere.

EODEM habitus, quem vel in nullo Ordine, cuiuscunq; 132
status ille sit, vrgent, vel non tantum, quantum in hoc
Ecclesiasticorum, vrgent tot omnibus fere temporibus con-
stitutæ leges. Quem quia noluerunt esse communem propha-
nis hominibus, huius status præ reliquis amplitudinē probat.

EODEM, quod quacunq; nota, etiamsi sine crimine illa 133
contracta esset, infames in hunc Ordinem non putârint
admittendos, ne vel hinc ipsius dignitas, alioquin tot nomi-
nibus commendata, læderetur.

EODEM, quòd tot gradibus ad superiora loca voluerint 134
in hoc Ordine perueniri, vt in hoc, quemadmodū habet *Orat. de laudib.*
Naziazenus, legem nautarum videantur imitati: quæ prius *Basilij*
gubernatori remum in manus dat, indeq; in proram deducit,
& vlteriora concedit; & tandem super gubernacula cum mul-
ta maris experientia & ventorum statuit cognitione.

EODEM, quòd quibus temporibus in sacros Ordines ex 135
laicis assumendi, sacrisq; initiandi sunt, ieiunia olim A-
postolorum temporibus obseruata sint, et Ecclesiæ postmodū
præcepto indicta. Quia scilicet conueniebat, vt communibus
totius Ecclesiæ votis à Deo peterentur Ministri, qui totius
Christiani populi atq; etiam Regum, & Imperatorum in secu-
ram salutemq; susciperent.

EODEM, quòd pluribus legibus tam Ciuilibus quàm 136
Ecclesiasticis, ne quis ipsis violentas manus inijceret, ve-
titum sit; quodq́, in ipsorum percussores grauissima, qua potest
Ecclesia animaduersione vtatur. Eodem.

137 EODEM quòd, quę ob grauissima olim in Ecclesia vsitata fuit, solennis pœnitentia ijs imponi non potuerit, etiamsi enormia peccata perpetrassent; quòd putârint, non nisi cum quadam gradus Ecclesiastici iniuria hanc suscipi posse.

138 AMPLISSIMA etiam priuilegia huic Ordini concessa magno argumento sunt, multo ipsum Ciuili Potestate superiorem esse. Nisi enim eximium quid in illo, & quod in alio quocunque non reperitur, obseruassent; non præ cæteris multis oneribus, quæ alioquin in Republica communia sunt, liberassent; non tam amplis priuilegijs exornassent.

139 QVIBVS recensendis ne longum faciamus, vnico contenti sumus, quod nostram causam vehementer probat, & Ecclesiasticos viros quibuscunque Politicis Magistratibus superiores constituit. Hoc est, quod Ecclesiasticas personas, eorundem causas atque controuersias à foro & iudicio Ciuili eximant non sacræ solum; verum etiam à potentissimis Imperatoribus constitutæ leges; quodque iniquum censeant, secularium ipsos iudicio stare debere, quibus diuinorum mysteriorum administratio à Deo concredita sit.

140 QVOD dicimus dubium, non est. Caius Pontifex ante annos mille trecẽtos omnibus, ne Clericos apud seculares Iudices accusare præsumant, prohibuit. Idem non multo post Caium vetuit Marcellinus. Bonifacius vero his decretis non obedientes templi aditu vult prohibendos.

Epist. ad Felicem.
Epist. ad Orient. Episc.
Ep. ad Episco. gall.

141 A Pontificum sententia non dissentiunt habitæ Synodus. Matisconensis pœnam grauissimam verberum aut carceris in eos, qui has leges violant, statuit. Mileuitana vult causa cadat, & à fidelium communione talis separetur. Carthaginensis III. proprio honore decernit priuandos.

Cap. 8.
Cap. 3.
Cap. 9.

142 CVM his consentiunt Romani Imperatores. Valentiniani, Theodosij & Arcadij hæc constitutio est. Continua lege sancimus (inquiunt) vt nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ad Iudaica siue ordinariorum

Ex Codi. Theo.

orum

orum siue extraordinariorum Iudicum protrahatur: Habent enim illi suos Iudices; nec quicquam his publicis est commune cum legibus. In eandem sententiam loquitur Iustinianus Augustus; Si quis (inquit) contra aliquem Clericum aut Monachum aut Diaconissam, aut Monasteriam, aut asceterlam habet aliquam actionem; doceat prius sanctissimum Episcopum, cui horum vnusquisque subiaceat. Ille vero inter eos causam diiudicet; & siquidem vtraque pars his, quæ iudicata sunt, non acquieuerit; iubemus per loci Iudicem executioni perfectè mandari. *11.q.1.c.37.*

143 IDEM reipsa præstiterunt Romani Imperatores. Constantinus cùm in media Episcoporum Synodo apud Nicæam sederet, & Episcopi quidam vltro ad eum querelas deferrent, hac ad ipsos vsus dicitur oratione: Deus (inquit) vos cõstituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propterquod Dei solius inter vos expectate iudicium; & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij; Et conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus discernit. Hæc Constantinus. Sic Constantius Arrianus, teste Suida, reprehensus à Leontio Tripolis Lydiæ Episcopo, quod ea in causis spiritualibus tractaret, quæ ad solos Episcopos pertinebant, verecundia quadam affectus, eiusmodi edictis abstinuit. Conuocat Theodoricus Rex Arrianus Episcopos, vt nescio quid contra Symmachum Papam moliretur: Vbi intellexit ab ijs Symmachum ob prærogatiuam Sedis non posse compelli, vt minorum iudicio se subijceret, omnia Episcoporum iudicio relinquit, nec ad se quicquam de rebus Ecclesiasticis pertinere ait, nisi vt eos, qua par est, reuerentia prosequatur. *Ruff. lib. 1. c. 2.* *In Leontio.* *In 4. Syn. sub Symmacho.*

144 QVOCIRCA merito reprehendit Donatistas B. Augustinus, quod apud terrenum Iudicem accusarent Episcopos.

copos. Merito Eulalius, in Synodo sub Symmacho Papa Romæ habita, docuit esse contra Patrum regulas, aliquid de Ecclesiasticis facultatibus disponi à Laicis, quamuis religiosis. Merito Gregorius Nazianzenus etiam Imperatorem suo tribunali dixit esse subiectum. Meritò Constantio scripsit Hilarius; Præcipiat suis, qui publicis negotijs in diuersis Prouintijs præerant; ne præsumant atq; vsurpent causas Clericorum cognoscere.

Orat. ad subditos timore perculsos.

145 *In Registro.*

CVM Episcopus quidam Solonitanus de Simonia & alijs criminibus apud Gregorium Magnum Romæ accusatus esset; & ideo Romam ad causam dicendam accersitus, respondisset, Serenißimos Dominos (Mauritium Augustum intelligebat & Constantiam) præcepisse, vt domi suæ, hoc est in Illyrico eius causæ cognitio haberetur; respondit in hæc verba Gregorius: Nobis & omnibus notum est, pijßimos Dominos disciplinam diligere, & Ordines seruare, Canones venerari, & se in causis Sacerdotalibus non miscere.

146 SED non solum noluerunt Maiores nostri licitum esse Ciuilibus Magistratibus Ecclesiasticorum causas cognoscere & definire: quibuscunque etiam de secularibus negotijs contendentibus, ad Ecclesiasticos tanquam ad supremos Iudices cum fori secularis detrimento, concesserunt appellationem. Theodosij Imp. pro hac re sic habet lex. Quicunque litem habens, siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel diuersis temporum circulis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si altera pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Quam constitutionem post perpetua lege tenendam Romanis, Francis, Alemannis, Bauaris, Burgundionibus, Saxonibus, Turingis, Frisonibus, Gallis, Britonibus, Longobardis, Guasconibus, Beneuentanis, Gothis, Hispanis, cæterisque omnibus Imperio suo subiectis præcepit Carolus Magnus

In Cod. Theo. lib. 18 tit. 11. 11. q. 1. c. volumus.

Quid

QVID quod Ecclesiasticorum sententiam non censuerint reuocandam in dubium? Pro quo eiusdē Theodosij 147
verba subiungimus; Omnes (iuquit) causæ, quæ prætorio vel *suo lib. 5. de*
Ciuili Iure tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ; per- *causa & nego.*
petuo stabilitatis iure firmentur; nec vlterius liceat retractari *Cano.*
negotium, quod Episcoporum sententia deciditur. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes Iudices indubitanter accipiant, ne alius audiatur; cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum: illud enim veritatis authoritate firmatū, illud incorruptum habeatur, quod à sacrosancto homine secundum scientiam mentis illibatæ fuerit prolatum. Hoc nos edicto firmamus salubri, & perpetua lege tenendum esse censemus.

CAPVT SEPTIMVM.

Quod diuina institutione Ecclesiastica Potestas Ciuili sit superior, docetur.

NATVRA Ecclesiasticam Potestatem Ciuili superiorem esse demonstrauimus. Ostensum quoque est cum natu- 148
ra egregiè consentire omnium temporum ac conditionum homines. Nunc diuina institutione eandem supremum locum tenere probamus.

PRO hac re primum maximumq; argumentum est, quod olim Deus causas, quibus finis per Ciuiles Magistratus
imponi non potuit, ad Sacerdotum voluit tribunal transferri, 149
& illorum sententia definiri. Si difficile & ambiguū (dicitur Deutero. 17) apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram: & Iudicum inter portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta

 legem

legem eius, sequerisq; sententiam eorum. Nec declinabis ad dextram neq; ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum ex Israël.

150 IDEM probant egregia, quæ præ cæteris huic sacrorum hominum Ordini Deus contulit, priuilegia. Solis licuit Sancta Sanctorum ingredi; solis Dei altari ministrare; solis panes propositionis sumere; solis incensum, hostias pacificas, holocaustomata, atq; id genus sacrificia pro communi totius Reip. commodo offerre.

151 IDEM, quod quæ Dominus reseruata voluit in signum recognitionemq; vniuersalis Dominij, illa deputârit Sacerdotibus, & altaris ministris. Omnes (inquit Moyses) decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæcunque sub Pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificatum est Domino. Quas quam indignè ferat auarè aut infideliter illis persolui, qua fraudantes

Mal.3. persequatur vltione & vindicta, per Malachiam testatus est Dominus, quando se configi docet; ipsos vero Iudæos in penuria maledictos esse propterea, quòd decimas & primitias non persoluerint.

152 IDEM quòd omnia Regum, Ducum, & prophanæ multitudinis munia obire potuerint Sacerdotes; Sacerdotum verò ne Reges quidem debuerint functiones administrare, nisi præsentissimam in se Dei iram voluissent prouocare.

153 IDEM quòd quando, quibus rationibus Sacerdos, populus, Princeps atque priuatus homo cum offenso Deo in gratiam redire debeat, Moyses docet, Sacerdos omnibus præferatur, & gratius Deo sacrificium, quàm aliorum aliquis cum populo offerre iubeatur: quemadmodum benè annotârunt Philo, Iosephus & Procopius.

Leuit.4. *lib. de victim.* *lib.3.c.10. An* *in Leuit.*

Idem

IDEM, quòd non populus aut Reges Sacerdotibus, sed Sacerdotes vtrisq; benedi&onem impertiantur; quoniam, vt B. Paulus habet, quod benedicitur, à meliore benedicitur. Ob quam causam etiam idem Abrahamo præfert Sacerdotem Melchisedech. 154 *Hebraeor.7.*

IDEM, quòd grauissimis supplicijs persecutus eos sit Deus, quicunq; huius Ordinis hominum authoritatem vel verbo, vel facto læsissent. In horum genere inter alios fuêre Core, Datan & Abiron, qui quòd Aaroni Sacerdoti se æquassent, terræ hiatu absorpti sunt. Ozias, qui grauissima lepra est percussus, quòd Sacerdotis imperio non paruisset: Saul, qui iusto Dei iudicio, cũ Philistæos in Gelboë fugeret, proprio mucroni incubuit & suæ cædis crudelis author fuit, quod ante sacrilegas manus Sacerdotum sanguine cruentasset. 155 *Num.16.* *2 para.26.* *1. Regum 31.*

IN vestibus verò atq; ornamentis summi Sacerdotis, in stricta tunica, tunica superiore, tintinnabulis, malo granatis, superhumerali, baltheo, thiara, vncinis, catenulis, rationali quatuor ordinibus lapidum distincto, in vitta & his similibus, quę omnia Deus præscripsit, quid aliud quàm Sacerdotis summa dignitas demonstratur? Singula declarare immensi operis est. Dicimus breuiter cum B. Hieronymo his significari, Pontificem esse, qui & Dei, & creaturarum omnium in suis vestibus portet Typum: atque indicet cuncta Dei misericordia indigere, & in suis Sacrificijs totum sibi mundum commẽdatum esse. 156 *Epist.128.*

HINC est, quod in eadem veteri lege etiam Reges ab Ecclesiasticis viris Deus vngi voluerit: vt intelligerent, Principatum suum se non à Deo solùm, sed præterea à Sacerdotibus habere, ipsosq; Regibus superiores esse: vt verissime dictum sit ab Ambrosio, veteri iure non vsurpari, sed à Sacerdotibus dari Imperia. 157 *Epist.33.*

HVC facit, quod Leuita Samuël Dei authoritate Saul Regẽ creat; peccantem publicè deponit, substituto Dauid: 158 *1.Reg.8.*

 quod *2 Reg.11.*

Quod Ahias Silonites viuo abhuc Salomone prędixerit Ieroboam, decem tribubus ipsum præfuturum: Quod Ieremias Sacerdos potestatem accipiat super gentes & regna: vt dissipet ac
Iere.1. perdat; destruat atq; ædificet; euellat & plantet: Quod Elias
3.Reg.19. vnxerit Azaël Regem super Syriam; & Iehu præfecerit Israël:
ibidem Quòd idem Elizæum suffecerit loco suo, vt qui Azaël manus effugisset, incideret in Iehu; qui effugisset Iehu, non euaderet Elizæi.

159 QVID quòd potestatem suam regia superiorem esse Deo
4.Reg.11. exhortante demonstrârint Sacerdotes? Athaliæ matri Ochoziæ quis Imperium ademit? Sacerdos Ioiadas milites conuocat; Reginam, quæ septem annis præfuerat, iniquis legibus Regnum administrasse indicat; priuat imperio; iubet occidi; in illius locum Ioam constituit, & populo præficit.

160 VETERIS legis hoc ius fuisse forsitan quis dicat; aliam esse rationem nouę. Sed cur aliam quæso? Cur non multò maior in noua sacrorum hominum authoritas est? præsertim cùm tantò maior sit ministrorum Christi atq; Leuitici generis Sacerdotũ Potestas, quanto interuallo iustitia, spiritus & vita, (quam hæc administrat) dãnatione littera ac morte pręstat, quas res Leuitici Sacerdotes expectare poterant.

2.Corinth.3.
161 FVTVRVM prædixerant Prophetæ, vt Reges etiam erudirentur, & in Christi regno seruirent; vt imperata facerent,
Psal.2. præstarent obsequia. At hæc fieri nequeunt, si Regum po-
Isaię 61. testas Christi, id est Ecclesiasticæ Potestati, subiecta nõ est. Non habet Ecclesia Imperatoris gladium; inquit Petrus Cluniacé-
epist.29.lib.6. sis, habet tamen super ipsos Imperatores Ecclesia imperium.

162 CONSTITVAMVS ita esse, vt nobiscum in terris iam agat Christus, quemadmodum olim cum hominum genere conuersatus est: Quis verò dubitabit omnes Christianos etiãsi Regia dignitate illustres sint, Christi Potestati subiectos esse?

esse? Sed quæcunq; in Christo Potestas fuit, in Apostolos, eorumq; successores translata est. Apostolorum igitur; atq; ipsorum successorum, id est hominũ Ecclesiasticorum etiã hodie summa ex Christi sententia in Ecclesia potestas est.

SED neq; desunt Christi testimonia, quæ Ciuilem Ecclesiasticæ Potestati subiectam esse testentur: qualia sunt quòd Apostolos voluerit vt se audiendos; quod docuerit suam in ipsorum authoritate lædi; quòd in vniuersum orbem miserit; iusserit ea præciperent seruanda, quæ ab ipso iam ante didicissent; quod claues regni cœlorum contulerit; quod potestatem fecerit quoscunq; soluendi atq; ligandi. 163 *Lucæ 10. Marci vltimo. Matt. 16. Matt. 18.*

ET oues suas Ecclesiasticæ Potestati commisit. An verò oues Christi non sunt qui Ciuiles Magistratus gerunt? Etiam potensissimum Imp. Gregorius Naziazenus ouem sacri sui gregis publicè ausus est proclamare: At ouium longe inferior, quàm Pastorum conditio est. Quare & Christi sententiâ Ciuili præstat Potestas Ecclesiastica. 164 *Ioan. 21. Orat. ad scri. percel.*

CAPVT OCTAVVM.

Ad quæstionem respondetur, qua de iure, quod in Ecclesiasticos homines Ciuilis Magistratus habere potest, quæritur.

CONCLVSVM est & natura, & orbis consensione, & Dei sententia potiores esse partes Potestatis Ecclesiasticæ, quàm Ciuilis. Hic verò duplex quæstio oritur: alterâ quæritur, quantum sit ius Ecclesiastici Magistratus in Ciuilem: altera, vtrum, quia Ciuilis subest Ecclesiasticæ, hæc omnino ab illa excepta sit, vt nihil in Ecclesiasticas personas possit Magistratus Ciuilis. Ad priorem posterius respondebitur; posteriori vna responsione satisfieri non posse videtur. 165

IN

166 IN Ecclesiasticorum enim hominũ exemptione vel Causarum, vel Bonorum, vel Legum Ciuilium ratio habenda est. In causis; vtrum ad tribunal Ciuile pertineant: In bonis; an cõmunem cum prophana multitudine conditionem in secularium Principum exactionibus subeant: In legibus Ciuilibus; an ijs necessario parere debeant, quæritur.

167 CORAM tribunali vero Ciuili in triplici genere causarum contingit conueniri. In causis Religionis, quarum authoritas diuina est: in Ecclesiasticis, quæ ex Principum Ecclesiæ dependent legibus: denique in Ciuilibus & criminalibus, quæ Regum, Imperatorum, atque Rerumpub. nituntur voluntate. Vt omni modo à Potestate sæculari exempti sint Ecclesiastici homines, & in eos vniuersum iudicium penes Ecclesiasticam sit Potestatem, multis iustißimisque rationibus conuenire, ex ijs, quæ capite præcedenti dicta sunt, quiuis facile deprehendit.

168 SED quia hoc extra omnem controuersiam constituimus: non quid conueniat; sed quod res est, iusque postulat, doceamus. Et profecto nullum sibi ius hic potest tribuere Ciuilis Magistratus in causis Religionis. Religionis negotium vniuersum non ipsis, sed Apostolis, Apostolorumque successoribus Christus commendauit. Quocirca horum est, non Ciuilis Magistratus, si quid hac in re ab Ecclesiasticis delictum est, cognoscere, corrigere, & emendare.

169 OBSERuàrunt hoc quondam sanctißimè Imperatores Constantinus, Valentinianus, Theodosius atque Martianus. Negàrunt suarum esse partium Religionis negotijs se immiscere. Quicquid hic est, Sacerdotum atque Episcoporum ius sibi vendicare, docuerunt.

170 NEC aliter debuerunt sentire. Cùm enim in causis Religionis non nisi secundum diuinas leges iudicium fieri poßit: à quibus quæso alijs sententia, quàm ab ijs, quorum fidei lex diuina concredita est, Ecclesiasticis inquam Principibus, petenda est?

HOC

171 HOC tamen in cauſis Religionis habet Ciuilis Magiſtratus, vt rogatus ſuam operam commodare debeat; & quem pro Chriſti gloria ad vindictam malorum, & proborum defenſionem gladium portat; eo in quoſcunque, qui ob adulteratam fidei doctrinam legitime damnati ſunt, vtatur.

172 ADDE q̃d etiam nõ rogato ipſi Poteſtas facta ſit peruerſa docentes corporali pœna puniendi, legesque pro Eccleſiæ pace ferendi. Hoc Chriſtianorum Principum & Magiſtratuum ſemper officium fuiſſe, ſupradictorum Imperatorum aliorumque Principum leges resque geſtæ teſtantur.

173 NEQVE enim muneri ſuo facit ſatis, ſi ad alios reiecta cura omni Religionis conſeruandæ, tuendæ & propagandæ; humanæ tantum ſocietatis curam ſuſcipiat, atque id vnum ſtudeat, vt pacem & tranquillitatem politicam procuret & tuatur. Meminiſſe debet gladium ſuum ſeruire Eccleſiæ, & ſcire (quod bene notauit Leo Pontifex) politicam tranquillitatem cum diſſipata Religione conſtare non poſſe.

Ep. 4 ad Theodoſium, & ep. 13. ad pulcheriam Auguſtã.

174 HINC eſt, quod Eccleſiaſticam libertatem non violant, qui hodierna die aduerſus Dei corraptores Ciuilis Magiſtratus operam deſiderant: ſicut nec olim violaſſe docet B. Auguſt. illos Epiſcopos, qui contra inſolentiſſimos & furentes inſultus Donatiſtarum Eccleſiam miſere diuexantium, religioſorum Principum auxilium implorabant.

Epiſt. 50.

175 PORRO quantum in Religionis negotijs Ciuili Poteſtati permitti putamus, tantum exiſtimamus concedi in cauſis Eccleſiaſticis: vt ſcilicet operam ſuam hic commodare Poteſtati Eccleſiaſticæ poſſit; pro ſua tamen authoritate, nec de ijſdem debeat inquirere, nec in eos, qui deliquerunt, iure animaduertere.

176 QVID enim? quibus leges præſcribere non poteſt, de iis ob violatas poterit inquirere, & pœnas ſumere? Quod ius quis habet in legum contemptores & violatores; id habet, vt leges conſtituere poſſit. Quocirca cum nullum hactenus Ciuilis Magiſtratus hic habuerit, quemadmodum pŏſtea docebimus,

bimus, nullum quoque in Ecclesiasticis negotijs cognoscendis vindicandisque habere iudicandus est.

177 QVÆCVNque Potestas apud Principes Magistratus ue seculares residet; à Republica in ipsos deriuata est. At Potestatem spiritualem Respub. nullam habet. Non potest ergo à Repub. constitutus Magistratus vllam sibi in Ecclesiasticas personas in his Ecclesiasticis negotijs vendicare.

178 HABET suos fines Ciuilis Magistratus; habet & suos Ecclesiasticus: vltra quos citraque nequit consistere rectum. Quapropter vt illi Ciuilium; ita huic negotiorum Ecclesiasticorum Causæ relinqui debent.

179 *Nouel.* 131. HÆC egregiè & sacræ, & Ciuiles leges confirmant. De sacris dubium non est. Ciuilis, inter alias, est Valentiniani Imp. quæ sic habet: Si Ecclesiasticum, inquit, negotium sit (ob quod cōtra Episcopum, Presbyterum & Diaconum accusatio instituta est) nullam communionem habento Ciuiles Magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Canones negotio finem imponito. Vide sequentia. Atq; ita de Ecclesiasticis Causis.

180 AN fortè qua ratione in Religionis atque Ecclesiasticis Causis personas Ecclesiasticas eximimus, etiam in Ciuilibus & Criminalibus à Principum secularium potestate censemus liberas? liberas censemus; eadem ratione liberas esse negamus. In prioribus ipsas vel naturæ, vel diuina lex libertate donasse videtur; In his posterioribus Principum tam Ciuiliū quàm Ecclesiasticorum authoritas.

181 *Ad Rom.* 13. TANTVM abest, vt hic à suis partibus naturam habeant, aut diuinarum legum authoritate se tueantur; vt potius Ciuili Magistratui in ipsos ius permissum esse certis argumentis deprehendere liceat. Censet Apostolus omnem animā potestatibus sublimioribus subditam esse; docet eos damnationē acquirere, qui eis resistunt; vult timeri Principes, quicunque male faciunt, quòd non sine causa gladium portent.

182 SI eorum aliquis, qui initio nascentis Ecclesiæ, Religionis sacræ ius administrabat, aliquid contra Ciuiles leges, q̄d Reipub. tranquillitatem perturbaret, commisisset; si homici-

dium, si furtum perpetrasset; si tumultus alicuius author, si pa-
cis turbator fuisset; an non Ciuilis Magistratus ab eodem, quas
leges postulant, pœnas exigere potuisset?

NON potest pax & tranquillitas Ciuium cum impro-
borum impunitate conseruari; non possunt Ciuibus 183
res suæ satis esse tutæ: At si Ciuilis Magistratus conniueat; &
quod Ecclesiastica Potestas aut non potest, aut non debet, aut
non vult corrigere, non emendet; nunquid non miserã Remp.
breui haberemus?

VERVNTAMEN quod hic naturæ, atq; diuina lex Ci- 184
uili Magistratui in quoscunq; maleficos ius permittit,
hoc eorum, penes quos summa in Ecclesia authoritas est, vo-
luntate atq; imperio à Ciuili Magistratu ad Ecclesiasticas per-
sonas translatum est; quod capite præcedenti demonstraui-
mus, non solum summorum Pontificum constitutionibus, ve-
rum etiam Imperatorũ grauissimis legib. constitutũ esse.

ET profecto constitutionem hanc iustissimam esse nemo
potest dubitare; siue eas, à quibus profecta est, personas;
siue in quarum gratiam est lata; siue causas, quæ mouere potu- 185
erunt, velit attendere.

CVM enim penes Imperatores summosq; Pontifices tota,
quanta quanta est, Potestas, qua Christianus orbis regi-
tur, constituta sit; nunquid non illi, quod ad Dei gloriam am-
plificandam, & Reip. Christianæ bonum promouendum ex- 186
pedire censuerũt; potuerunt constituere? Deinde cum ea Eccle
siasticorum hominum conditio sit, vt in Religionis negotijs ip
sorũ authoritatem, etiam Imp. reuereri debeant; An non æquis-
simũ erat, vt ab ipsorũ Potestate exempti ijs essent subiecti, quos
in Relig. causis Duces atq; capita agnoscerẽt? Quid? dignũnè cẽ
sebim⁹, vt Deo cõsecrati hoĩes á terrenis Princip. ad Iudices tra
hãtur seculares, eorũ sñiam audiãt, ab ipsis iudicẽtur, puniãtur?

HANC libertatem Ordinis ipsorum dignitas postulabat; 187
quæ procul dubio nullam apud Christianum populum
authoritatem fuisset habitura, si passim ad Ciuiles Magistratus
trahi, si exilio mulctati, si in crucem agi potuissent.

 NON

188 NON iudicabatur æquum esse, vt qui iam iudicio sententiam ferrent in Ecclesiæ Prelatos, ij paulò post in negotijs fidei atq; Religionis Ecclesiæ Prælatorum sententiæ subiacerent.

189 PROBABATVR, vt vnum aliquem Ducem atq; Imperatorem haberent viri Ecclesiastici, cuius vocem audirent & sententiæ starent, quem cum non possent in Ciuili Magistratu habere, vt ad quem Religionis negotia non spectarét, alius erat quærendus, id est, Magistratus Ecclesiasticus, qui vniuersum in ipsos imperium haberet.

190 PORRO quod iustissimum in his causis censuerunt orbis Christiani Principes; id quodam modo lex diuina, atq; naturalis expetere videtur. Probat hoc Constantini Magni, quam ad Episcopos, qui Nicæam conuenerant, habuit, oratio. Deus, inquit, vos constituit Sacerdotes, & Potestatem de nobis quoq; iudicandi dedit; & ideo nos à vobis rectè iudicamur; vos autem ab hominibus iudicari non potestis, propter quod solius Dei inter vos exspectatur iudiciū, & vestra iurgia, quæcunq; sunt, ad diuinum referuentur examen. Vos enim nobis à Deo dati estis Dij: cōueniens non est, vt homo iudicet Deos.

191 VERUM tamen quocunq; iure hac libertate fruuntur Ecclesiastici viri, certe Principum secularium authoritate tolli non potest, tum quod Imperatorum Christianorum donatione ipsam obtineant; tum quod summorum Pontificū, quibus hîc Principes præscribere non possunt, constituta sit & confirmata; tum deniq; quod tota Christiana Respublica, à qua omnis Principum Potestas est, in eandem consenserint.

192 EX quibus manifestum est, quam iustæ sint contra viros Ecclesiasticos Ecclesiasticæ sanctiones Conciliorū Chalcedonensis, Carthaginensis, & Matisconensis. Calcedonense sic habet: Si quis Clericus aduersus Clericum habet negotium,

Can. 9.

non deserat proprium Episcopum, & ad secularia percurrat iudicia: sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe consilio eiusdem Episcopi, apud quos vtræq; partes volue-

voluerint,iudicium obtinebunt. Siquis autem præter hæc fecerit,canonicis correptionibus subiacebit.Quodsi Clericus habet Causam aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum,apud Synodum Prouinciæ iudicetur. Quodsi aduersus eiusdem Prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habet querelam;petat aut Primatem Diœcesios,aut Sedē regiæ vrbis Constantinopolitanæ,& apud ipsam iudicetur.

CARTHAGINENSE III similiter loquitur:Placuit,inquit,quisquis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum seu Clericorum,cum in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum,vel Ciuilis causa fuerit commota, si de relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit,etiamsi pro ipso prolata fuerit sententia,locum suum amittat,& hoc in criminali actione;in Ciuili verò perdat, quod euicit, si locum suum obtinere malueritt. Siquidem ad eligendos Iudices sibi de Ecclesiæ consortio dubitat; vileque Ecclesiæ consortium iudicat, qui de Ecclesia vniuersa malè sentiendo,de iudicio seculari poscit auxilium,cùm priuatorum Christianorum causas Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri,atq; ibi determinari præcipiat. 193 *Can.9.*

SEQVITVR constitutio Concilij Matisconensis primi. Vt nullus Clericus,inquit,ad Iudicem secularem quemcūq; alium fratrem de Clericis accusare, aut ad Causam dicendam trahere,quocunque loco præsumat: sed omne negotium Clericorum aut in Episcopi sui, aut in Presbyteri aut Archidiaconi præsentia finiatur. Quodsi quicunq; Clericus hoc implere distulerit,si iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat;si certe honoratior, triginta dierum inclusione mulctetur. 194 *cap.8.*

ATQVE ita de iure,quod in Causas Ecclesiasticorum Ciuilem Magistratum habere credi posset, cōstitutum sit. Sequitur nunc videamus, vtrum aliquid in ipsorum habeat bona. Sunt,qui inter Ecclesiasticorum atq; Ecclesiastica bona distinguūt,& in illorum aliquod ius secularibus Principibus permittunt;in hæc nullum.Sunt qui vtraque Potestati seculari 195

volunt esse subiecta. Sunt, qui nullum in vtraq; ipsi esse contẽdunt. Postremam sententiam & sacræ litteræ, & Pontificum decreta, & Conciliorum constitutiones, & leges Imperatorum & ratio ipsa probare videntur.

196 *gen. 47.* OLIM in grauissima illa annonæ caritate, qua totum Ægytum septem annis Deus afflixit, vniuersam terram Pharaonis Imperio subiecit Ioseph: sed tamẽ sacerdotibus suam voluit esse liberam, vt hoc ipso testaretur, secularibus hominibus in sacrorum hominum bona ius non esse.

197 *In sexto de im. Ecclesi. tit. 23. cap. quia non.* PRO hac re sunt decreta Bonifacij VIII atq; Alexandri IV. Alexander ita habet: Intelleximus, quod in regno Franciæ Communiæ Scabini seu Consules, & alij Domini temporales, & ij, qui iurisdictionem in ipsis cõmunijs, Ciuitatibus, castris, & villis temporalem exercent, vt quibus in illis commissa est executio iustitię secularis, molesti sunt nimium Ecclesiæ super pluribus & infesti: & inter cætera nituntur & student, vt illis collectas & tallias & alia huiusmodi eadem Ecclesiæ, prætextu bonorum, quæ acquisierunt tribuant, & persoluant, vel extra manum suam ponant huiusmodi acquisita. Volentes itaq; super his omnibus (prout expedit) sollicitè prouidere, totq; temerarijs ausibus congruis præsidijs obuiare; authoritate Apostolica, pręhabita cum fratribus nostris diligenti deliberatione, decernimus non licere pręfatis Communijs, Scabinis, & ijs, qui in eis iurisdictionem temporalem obtinent, vel iustitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas, seu exactiones quascunq; Ecclesijs vel personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab ijsdem pro domibus, prædijs, vel quibuscunq; possessionibus ab ijsdem Ecclesijs vel personis Ecclesiasticis legitimè hactenus acquisitis, vel in posterum acquirẽdis, etiamsi ipsæ Ecclesię, vel personæ, vel res huiusmodi sint intra illorum districtũ vel territorũ cõstitutæ. Hæc Alexander.

198 *Ibid. c. quanq.* NON aliud Bonifacius. Cũ inquit, Ecclesiæ, Ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum nõ solum iure humano, quin imo & diuino à secularium personarum exactionibus sint immunes

immunes, Constitutionem felicis recordationis Alexandri Papæ IV prædecessoris nostri (qui statuit Ecclesias & personas Ecclesiasticas ad pædagia & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel soluendum tallia pro rebus suis proprijs, quas nō causa negotiandi deferūt, vel deferri faciunt seu transmittunt) volentes propter multorum insolentiam & abusum pœnæ adminiculo adiuuare, adijcimus districtius inhibendo, contraria consuetudine quorumcunq; quæ dicenda est corruptela verius, non obstante) vt nec Collegium, nec Vniuersitas, nec aliqua etiam singularis persona cuiuscunq; sit dignitatis, conditionis aut status à præfatis Ecclesijs, aut personis pro personis ipsis, aut rebus prędictis tallia exigat, vel extorqueat, per se vel per alium, suo nomine, vel etiam alieno aut eas ad huiusmodi persoluenda compellat. Qui verò contrà fecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis: si autem Collegium vel Vniuersitas ciuitatis, castri, seu loci alterius cuiuscunq; ipsa Ciuitas, castrū vel locus, interdicti sententias ipso facto incurrant: nec ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.

IBIDEM Bonifacius in Clericos, qui Ciuilibus Magistratibus morem gerunt, sic statuit. De fratrum nostrorū, ait, consilio, Apostolica authoritate statuimus; quod quicunque Prælati Ecclesiasticæq; personæ, religiosæ, vel seculares quorumcunq; ordinum, conditionis seu status, collectas vel tallias decimam, vicesimam seu centesimam suorum, & Ecclesiarum prouentuum, vel bonorum laicis soluerint, vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamuis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipsorum prouentuum, vel bonorum æstimationis vel valoris ipsorū sub adiutorij, mutui, subuētionis, subsidij vel doni nomine, seu quouis alio titulo, modo, vel quęsito colore absq; authoritate sedis eiusdem: nec nō Imp. Reges seu Principes, Duces, Com. vel Baron. Potestates, Capitanei 199 *Ibi. de Clericis*

vel

vel Rectores, seu quorūcunq; locorū constitutorūq; vbilibet & quiuis alij cuiuscunque præeminentiæ, conditionis & status, qui talia imposuerint exegerint vel receperint, aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum vbilibet arrestauerint, saisiuerint, seu occupare præsumpserint, saisiri aut occupari mandauerint, aut occupata, saisita seu arrestata receperint: nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium vel fauorem publicè vel occultè, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Vniuersitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto. Prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœna districtè mandantes, vt talibus absque expressa licentia dictæ Sedis nullatenus acquiescant; quodq; Prætextu cuiuscunq; obligationis, promissionis, & confessionis factarum hactenus vel faciendarum in antea, priusquam huiusmodi constitutio, perhibitio seu præceptum ad notitiam ipsorum peruenerit, nihil soluant, nec supradicti seculares quoquo modo recipiant. Et si soluerint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. A supradictis autem excommunicationum & interdicti sententijs nullus absolui valeat (præterquam in mortis articulo) absque Sedis Apostolicæ authoritate, & licentia speciali: cum nostræ intentionis existat tam horrendum sæcularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire.

Obserua, quod pœnas has, quo ad soluentes, sustulerit Bonif. XIII. habetur in Extra: Quod olim.

200

Cap. 19.

CVM Pontificibus consentiunt Concilia duo Lateranensia, totius orbis consensione approbata; alterum sub Alexandro III; alterum sub Innocentio III. Prius sic habet; Graue nimis esse dignoscitur, quod in diuersis partibus mundi, Rectores & Consules ciuitatum, necnon & alij, qui potestatem habere videntur; tot Ecclesijs frequenter onera imponunt, & ita grauibus eas crebrisque exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum sub ijs Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit; qui diuinæ legis notitiam non habebat.

Quo-

Quocirca, subiungit, sub anathematis districtione seuerius prohibemus; ne de cætero talia præsumant attentare, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel vtilitatem aspexerint; vt absq; coactione ad releuandas communes necessitates subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules aut alij de cætero id præsumpserint, & commoniti desistere forte noluerint; tam ipsi, quàm eorum fautores excommunicationi se nouerint subiacere, nec cõmunicationi fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.

IN eandem sententiam loquuntur Patres Concilij Lateranensis sub Innocentio celebrati, cuius caput 46. sic habet: Aduersus Consules & Rectores ciuitatum, & alios, qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos tallijs, seu collectis, & exactionibus alijs aggrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptores huiusmodi sub anathematis districtione prohibuit; transgressores & fautores eorum excommunicationi præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem, &c. 201

QVOCIRCA à consuetudine Maiorum non aberrant summi Pontifices, qui in Bulla cœnæ Domini, vt vocamus, anathemati subijci[illegible]t omnes, qui collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus & prouentibus, huiusmodi, absq; Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt; necnon qui per se, vel alium seu alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, aut votum seu suffragium, palam vel occultè præstare non verentur; cuiuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis aut status; etiamsi Imperiali aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respub. & alij Potentatus quicunque etiam regnis, prouincijs, ciuitati- 202 *excom. 17.*

 bus

bus & terris quoquo modo præsidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti.

203 *Cod. lib. 1. ti. 2. l. sancimus*

CVM his Ecclesiasticis Pontificum & Conciliorum cōstitutionibus consentiunt leges Imperatorum. Iustinianus sic habet: Sancimus res ad venerabiles Ecclesias vel Xenones, vel Monasteria, vel Orphanotrophia, vel Gerontocomia, vel Ptochotrophia, vel Nosocomia, vel Braphotrophia, vel denique ad aliud tale consortium descendentes ex qualicunq; Curialis liberalitate, siue inter viuos, siue mortis causa, siue in vltimis voluntatibus habita, lucratiuorum inscriptionibus liberas immunesq; esse; lege scilicet, quæ super huiusmodi inscriptionibus posita est, in alijs quidem personis suum robur obtinente: in parte autem Ecclesiastica vel aliarum domuum, quæ pijs consortijs deputatæ sunt, suum vigorem pietatis intuitū mitigante. Cur .n. non faciamus discrimen inter res diuinas, & humanas? Et quare non cōpetens prærogatiua cœlesti fauore conseruetur? Quæ oportet nō solū in casibus, quos futurū tempus creauerit; sed etiā in adhuc pendentibus, & iudiciali termino vel amicabili cōpositiōe necdū sopitis obtinere.

204 *Ex Codic. Th. lib. 16. tit. 2. L. XXVI.*

AD eandem rem facit lex Imp. Gratiani, Valentiniani, & Theodosij, AAA. Vniuersos, inquiunt, quos constiterit custodes Ecclesiarum esse, vel sanctorum locorum, ac religiosis obsequijs deseruire, nullius adtēptatiōis molestiā sustinere docemus. Quis .n. eos capite cēsos patiatur esse deuinctos q̄s necessario intelligit suprà memorato obsequio mancipatos.

205

DENIQVE vt finem faciamus, ratio ipsa hanc hominibus Ecclesiasticis libertatem deberi docet. Non pensitat vectigal miles, quia scilicet quod ciuis collata pecunia, hoc miles corpore atq; labore compensat. At non minor pro vniuersa Rep. Christiana cura Ecclesiasticorum, quam militū est: quod hi corporis viribus, hoc illi studio orationis præstant.

206

QVID quod Ecclesiasticorum bonorum eadem ratio est, quæ personarum? Quocirca cùm minimè conuenire iudicetur, vt sæcularibus Magistratibus personæ Deo consecratæ subiectæ sint; indignum quoq; iudicari debet, vt in Deo consecrata

secrata bona ciuilis Magistratus ius habeat. Quibus personæ, iisdem personarum bona relinquenda.

VERUM quo iure hac libertate fruantur; non ita apud omnes certum est. De humano tam Ciuili, quàm Ecclesiastico dubium non est; an in vtrisq; bonis naturali atq; diuino se tueri possint, disputatur à nonnullis. Quidam in Ecclesiasticis diuinum & humanum; in Ecclesiasticorum autem bonis quæq; sacris hominibus consecrata non sunt, non nisi humanum agnoscunt. 207

QVICQVID de bonis Ecclesiasticis sit, profectò Ecclesiasticorum non nisi humano iure à Principum sęcularium exactionibus exempta sunt: quo fit vt si ita necessitas (quæ legem non habet) postularet, posset iisdem vectigal imperare Magistratus, & ab inuitis etiam exigere. 208

QVOCIRCA quod alicui Pontifex grauissimè interdicit; ne vel ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiast. vel à reb. ipsarũ, pedagia vel guidagia, à quocunq; exigãtur, ꝓpterea, q̃d (vt loquitur) Ecclesiæ Ecclesiasticæq; personæ, & res ipsarũ nõ solũ humano, sed etiam diuino iure à secularium personarũ exactionibus sint immunes: id vel de Ecclesiasticis bonis intell[...]mus; vel eo sensu accipimus, quo diuina dicuntur, quæcunq; diuinis litteris comprehenduntur; licet alioquin ipsorum diuina authoritas non sit. Quia vero Iosephũ diuinæ litteræ tradunt Sacerdotum bona Pharaonis potestati non subiecisse; diuino exemplo (quod ius diuinum Pontifex vocat) Sacerdotum bona à seculari Potestate exempta esse dici possunt. 209 *In VI. ca. quæ. de censibus.*

DIVINUM profectò ius intellexit Apostolus Paulus, attamen is tributum, honorem atq; vectigal, non secularibus tantũ, verũ omnibus omnino Christianis imperare videtur: Reddite ergo (inquit) omnib. debita; cui tributũ, tributũ; cui vectigal, vectigal; cui timorẽ, timor. cui honorẽ hon. 210 *Rom. 13.*

TERTIum quæstionis caput leges Ciuiles, quæ ad Remp. benè gubernandam faciunt, complectitur. Harum quædam Ecclesiasticorum statui repugnant, quædam minimè. Ad priores viros Ecclesiasticos non teneri, ratio ipsa demonstrat. 211

H 2 Quem-

Quemadmodum enim nihil Ecclesiasticus Magistratus ciuibus quod eos minimè conenire videtur; ita neq; Ciuilis potest Ecclesiasticis, quod dignitatem eorum minuat, imperare.

212 QVOD verò illis teneantur, quæ ad Reipub. tranquillitatem pertinent, & statui ipsorum nihil officiunt, quis potest dubitare? nunquid non pars quædam Reipub. sunt viri
213 Ecclesiastici? at B. Augustino omnis illa pars turpis est, quæ suo se toti non conformat.

CERTVM est, quod, qui Coloniæ degunt, Coloniensis Magistratus legibus magis obligati sint; quàm ad easdē leges teneantur, qui Moguntiæ vel alibi commorantur. Cer-
214 tum igitur est, non prorsus à legibus Ciuilibus viros Ecclesiasticos omnes exemptos esse.

NON posset non maxima sequi in Repub. perturbatio, si quæ ꝑ pace atq; trāqnillitate comuni ciuiū piè sapiēter. q; cōstituta sunt; ꝑ libidine sua violare viri Ecclesiast. posśēt.

215 QVAMOBREM in his rebus etiam ad ipsos pertinere putamus, quod Potestatibus sublimioribus omnem ani-
Rom. 13. mā Apost. velit esse subiectam; Quoniā, vt B. Chrysost. testa-
Ibidem tur, Christi lex Politicas leges sustulisse nequaquā dici debet.

216 HINC est quod iustißimè Valentinianus, Valens, Gra-
lib. 4. cap. 8. tianus Imperatores, eos Episcopos commendēt, qui (vt Theodoretus habet) publica secundū leges munia subire sciūt; potētię Imperatoris nō obloquntur; sed syncerę & magni Imp. & Dei mādata custodiūt, & Imperatorijs legibus subijciūtur.

217 VERVNTAMEN non eodem modo his legibus, atque Ciues, in quos plenam potestatem Magistratus habet, subiecti sunt: Quo modo quisq; Princeps suis legibus tenetur, eodem ferè sacri homines his Ciuilibus. Id vel ex eo manifestū est, quod pro sua authoritate in viros Ecclesiasticos (siquicquā contra constitutas leges moliantur) veluti in suos Ciues animaduertere non poßit Magistratus Ciuilis: quemadmodum nec ipse Princeps de se supplicium sumere, si quam legem sanxit, ipse violet. Omnis ipsorum causa ad Ecclesiasticum Magistratum pertinet: omnis quæ ob violatas leges pœna exigitur, ab eodem exigitur.

Quocirca

QVOCIRCA quæ ipsos ad leges Ciuiles necessitas astringat, illam non tam legislator, quam ipsa natura affert, 218
quæ quemcumq; legislatorem, vt suis legibus, velut præcipua corporis pars, cui lex datur, pareat, obligat.

HÆC pro Ecclesiasticorum hominũ immunitate. Quæ 219
cum ita sint, meritò Tridentina Synodus cupiens Ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo nõ solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam à quibuscunq; impedimentis conseruari, admonendos censuit Christianos Principes sui officij, vt subditos suos ad debitam erga Clericum, Parochos & Ordines reuerentiam reuocent; nec permittant, vt officiales & inferiores Magistratus Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatinatione & canonicis sanctionibus cõstitutam, violent, sed seuerè in eos, qui hanc libertatem, imunitatem atque iurisdictionem impediunt, animaduertant. Meritoquoq; declararunt potentissimus Roman. Imp Carolus V. Catholici Principes, vt Reuerendissimis Episcopis & Sacerdotibus ac toti Clero, omnis potestas Ecclesiastica liberè permittatur, quæ ijs de iure aut consuetudine competit, Docent conuenire, vt omnes immunitates, priuilegia, eminẽtiæ & prærogatiuæ à Dominis Imperatoribus & Regibus pro manis concessæ, eis conseruentur; nec, quæ Imperiali munificentia aut largitione concessa sunt, per vllos Principes aut quemcunq; alium Romano Imperio subiectum, infringantur.

Sess. 25. c. 20.

in respon. ad articulum vlt. confess. Augus. de potest. Eccles.

TERTIA DISPVTATIONIS PARS.

DE SVBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.

CAPVT NONVM.

Potestatem Ecclesiasticam apud Ecclesiæ Prælatos esse, non autem penes prophanos quoscunque docetur primùm Christi institutione.

220 PRÆCIPVA de Poteſtate Eccleſiaſtica hoc tẽpore controuerſia eſt, penes quos ipſa conſtituta ſit, Seculares ne, an Eccleſiaſticos viros. Poteſt quidem, quod res eſt, facile ex iam dictis colligi: Omnia enim vt Eccleſiaſticam Poteſtatem, Ciuili præferunt; ita eandem non prophanis & priuatis; ſed Capitibus Reipub. Chriſtianæ, id eſt, hominibus Eccleſiaſticis
1 deferunt. Sed tamen idem demõſtremus ex inſtitutione Chri-
2 ſti: ex perſonarum conditione; deniq; ex officiorum Eccleſia-
3 ſticorum qualitate.

221 QVI Chriſtum à ſuis eſſe partibus arbitrantur, & eius cõſenſu Eccleſiaſticam Poteſtatem ad Laicos transferunt; neceſſe eſt cauſam ſuam probent aut ſacrarum ſcripturarum authoritate, aut traditionę Maiorum. Non enim poſſunt ſe Iure gentium atque naturæ tueri; quoniam non à naturæ, gentiumque Iure Poteſtas hæc profecta eſt; naturæ gentiumque leges longo poſt ſe interuallo relinquit. Neque firmum ſatis præſidium in hominum voluntate repetiunt: quoniam, vt hominum voluntate in orbem inuecta non eſt, ita nec hominum debet voluntate diſpenſari: à Chriſto quemadmodum profecta eſt, ita pro Chriſti voluntate certis eſt demandata, de qua voluntate nobis aut ex Scriptura, aut Maiorum traditione conſtare debet.

222 EX Scriptura duabus rationibus de Chriſti ſententia nob. cõſtare poteſt; quia vel verbis vel rebus geſtis voluntatem ſuam potuit declarare. In præſenti negotio neutrũ deſideramus, quoniam Scriptura teſte identidem de Eccleſiaſtica Poteſtate Dominus locutus eſt; & rebus geſtis eandem egregiè demonſtrauit.

223 VERBIS expreſsit hanc in Eccleſia Poteſtatem aliquando inſtituendam; declarauit quanta eiuſdem Poteſtatis futura authoritas; quanto ſtudio ipſius imperia ſint ſuſcipienda; quo loco habendi, qui imperata contemnerent. Denique promiſſam contulit Poteſtatem; &, vt crebrò enata vterentur, facultatem fecit. At rebus demonſtrauit, quales vellet eſſe eos, apud quos ſumma huius Eccleſiaſtici Regiminis conſtituta eſſet.

HANC

HANC rem pluribus demonſtrare neceſſe non eſt. Quod 224
dicimus, intelligunt, qui vel mediocriter in ſacris litte-
ris ſunt verſati. Quid enim illa Chriſti oratio, Faciam vos pi- *Matt.* 4.
ſcatores hominum? et illa, Tibi dabo claues regni cœlorum; *Matt.* 16.
quid, inquam, aliud quàm inſtituendum quoddam à Chriſto
in Eccleſia Regimen declarat? Illa vero, Quæcunq; ligaueris *Matt.* 16.
ſuper terram, ligata erunt in cœlis, nonne ſummam Poteſtatis
authoritatem exprimit? Quando autem dicit, Qui vos audit,
me audit: Qui vos ſpernit, me ſpernit, nonne, quam prompto *Luca.* 10.
ſtudio imperia huius Magiſtratus excipienda ſint, demon-
ſtrat? Ita, quo loco habendi ſint, qui imperata ſuperbè contem-
mnunt, docet; dum Publicanis confert, atque Ethnicis, qui *Matt.* 17.
Eccleſiam non audierint. Et quando nunc omnibus loquitur,
Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata, remiſ- *Ioan.* 20.
ſa ſunt &c. nunc vni Petro, Paſce oues meas, ampliſsimam *Ioan.* 21.
confert Poteſtatem. Denique facultatem fecit Poteſtate obten
ta vtendi, quando in vniuerſum mittit orbem, vt doceant, ba-
ptizent, & quæcunque ipſis mandata erant, populo ſeruanda
proponant.

SED & reipſa quales cupiat eſſe eos, quibus ſumma Eccle- 225
ſiaſtici Regiminis committi debet, edocuit. Intellexerat ex
ſuorum contentione de Primatu eſſe diſputationem; eum om- *Lucæ* 22.
nes ſibi auidè optare, alijs inuidere. Quid ergo facit? Paruulum
aſſumit, eundem Apoſtolis proponit ob oculos, ab illo vult
diſcant, quem animum, qui principem in Eccleſia locum ob-
tinent, gerere debent: Nunquam futurũ, vt cœlorum regnum
ingrediantur, niſi conuerſi ſimiles paruulis efficiantur. 226

HI fere Chriſti de Eccleſiaſtica Poteſtate ſermones; hæc
facta. Atque vtraq; nihil populo; nihil Chriſtianis Prin
cipibus patrocinantur: vtraque totum hoc Imperium Eccleſi-
aſticis perſonis deferunt. Quid ita? Quia Poteſtatem promittit
non illis, ſed Petro, Tibi (inquit) dabo claues regni cœlorum:
Super hanc petrã, id eſt, ſuper te Petrũ ædificabo Eccleſiã meã.
Dũ Poteſtatis authoritatẽ exprimit, quorũ p̃ter Apoſt. memi-
nit? Dũ quo ſtudio imperiũ Poteſtatis excipiendũ, doce, quos
præter

præter Apost. denotauit? Et Apostolis dicitur, qui Ecclesiā nō audierit, Ethnicorum & Publicanorum loco habendum; Apostolis, Accipite Spiritum Sāctum; quorum remiseritis peccata, remissa sunt: Apostolis, Ite in mundum vniuersum, prædicate &c. Denique vnus est Petrus, cui oues & agnis, id est omnes Christifideles commendantur.

227 EODEM modo humilitatem in paruulo Apostolis proponebat: non Principibus, quia necdum vlli fidem susceperant; non populo, quia non ille de primatu contendebat. Ego, inquit, dico vobis (quibus? Apostolis) nisi conuersi, efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

228 NEGARI non potest, quin hanc Potestatem, excellentissima ratione in Ecclesiam, dum nobiscum ageret Christus, & quidē solus habuerit. Data est mihi inquit oīs Potest. in cœlo & in terra. At quamcunque habuit, non in Populum, aut Christianos Principes; sed in solos Apostolos effudit, Sicut misit me Pater (ait Apostolis) & ego mitto vos.

Matt. vlt.
Ioan. o.

229 ET quemadmodum hæc omnia Principatum viris Ecclesiasticis in Christi Ecclesia deferunt: ita, si quando prophanæ multitudinis meminit, hanc Ecclesiasticorum Potestati subiectam esse clarissimè demonstrat; Cur, inquiunt quodam loco Apostoli, loqueris in parabolis turbæ? Quibus Dominus: Quia vobis datum est nosse mysteria regni, illis autem non est datum. Quod si mysteria regni nosse illis datum non est, Regni gubernatio à sapientissimo Domino commissa creditur;

Matt. 13.

230 ALIO loco videns turbas (inquit Matthæus) misertus est ijs, quia erant vexati, & iacentes, sicut oues, non habentes pastorem. Ouium loco habet turbas Dominus: At ouium est pasci, non pascere; regi, non regere: quod illis eorumq; successoribus cōmissum, quibus post resurrectionem tertiò cura & officium pastoris demandatur.

Mat. 9.

231 SED fortè voluit Dominus, quam in terris Potestatem Apostolis contulit, postquam cœlos ascendit, eandem, omnibus

nibus Christianis esse communem. Si ita est, huius voluntatis oportet proferatur aliquod diploma. Verùm aliter diuinitus institutus Apostolus Quosdam (inquit) non omnes, dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Ephes 4. Pastores & Doctores ad ædificationem corporis Christi, donec omnes occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

FORTE quæcunque Apostolis collata est Potestas, omnibus, quam primum Christianum dogma complectûtur, 232
Actor. 20. collata censeri debet. At alij vniuerso gregi attendere iubentur, Heb. 13.
& regere Ecclesiam Dei: alij obedire Præpositis, & subiaceLuc. 10.
reijs. His dicitur, Qui vos audit, me audit; illis, Quæ dicunt, faMatt. 23.
cite. His, Quomodo prædicabunt, nisi mittãtur? illis, Quomodo audient, sine prædicante? Rom. 10.

CERTVM est, nequaquam in Apostolorum locum successisse Reges atq; Principes, non promiscuum Populum, atq; omnes eos, qui Christianæ Religionis mysterijs initiati fuerunt. Certum est ipsos ab Apostolis institutos esse, Apostolorum imperata fecisse. At si in Apostolorum locum suum non successerunt, quo iure Apostolorum officiũ ingressi sunt, & Potestatem obtinuerunt? 233

A Christo igitur constituta Reipub. Christianæ forma Potestatem Ecclesiasticam viris Ecclesiasticis, non Laicis, tradit. Sed nec aliud habet Maiorum traditio, qui à Christo præscriptam formam omnibus temporibus constantissimè conseruare debuerunt. Cum enim Rempublicam mutari necesse sit, in qua ordo ratioq; gubernandi (quæ Remp. cõstituit) immutatur, si aliud, quàm acceperũt, Regimen introduxerũt, quomodo non à Christo institutã gubernationẽ permutarunt? 234 235

PRÆTEREA à quo tandem ad prophanos homines sceptra Ecclesiæ translata sunt? Non à Christo, vt docuimus. Non sibi illa Populus Principesne vltro vsurparunt; Quia iniquè egisse possent iudicari. Ab Apostolis igitur obtinuerint. Sed si ita est, in quos his collata Potestas aliquid potuit? Non

fuerunt ſibijpſis præfecti; alius oportet ſit, qui imperat, alius qui imperata exequitur. Aut ergo nullis præfecti ſunt; aut ſibi prophanos præfecerunt Apoſtoli. Verum ſi hoc non, quid quæſo eſt, præter omnem rationem loqui?

236 *Ad heb. 13.* *Actu. 20.* HORTANTVR Apoſtoli Populum, obediat Præpoſitis, iiſque ſubiaceat: Hortantur Epiſcopos & Eccleſiæ Prælatos, attendant ſibi, & vniuerſo gregi. Volunt Populum neceſsitate eſſe ſubiectum, etiam propter conſcientiam: Epiſcopos vero à Spiritu Sancto dicunt conſtitutos, vt Eccleſiā Chriſti ſanguine redemptam regant atque gubernent. Penes hos ergo, non populū ſummā Poteſtatis Eccleſiaſticæ conſtituunt.

237 *1 Cor. 3. &c.* IIDEM Apoſtoli gloriantur, non quòd Populus Chriſtianique Principes, ſed ipſi ſint miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; quòd ſenſum Dei habeant; quòd à Deo vocati; quod electi; quòd ad Euangelium prædicandum miſsi; quod potentes in Chriſtiano populo ſermone, prodigijs atque ſignis; quòd in virga poſsint venire; quod legatione fungantur pro Chriſto &c. An hæc conueniunt prophanę multitudini omnia?

238 APOSTOLI per vniuerſum mundum diſperſi leges Populo imponunt, non à Populo accipiunt: Conſtituunt per ciuitates Presbyteros; & his, non populo, authoritate ſibi diuinitus data poteſtatem faciunt, quæcunque pro Chriſtianæ Reipub. incolumitate expedire iudicârint, conſtituendi. Apoſtolorum exemplum ſecuti ſunt ipſorum poſteri, atque in omnibus orbis partibus iiſdem Eccleſiam, quibus acceperunt, legibus rexerunt. Res certior eſt, quàm vt probatione indigeat.

239 QVID multis? hoc à Chriſto inſtitutum Regimen, ab Apoſtolis obſeruatum, omni tempore tenuit Eccleſia Catholica; nec aliud admiſſura eſt, quamdiu ipſius in terris regnum florebit. Quod ſi noſtra ætate quidam aliud in ſuis conuenticulis introducunt, qua in authoritate faciant, viderint ipſi; profectò Chriſti non poſſunt ſe inſtitutione, Maiorumque exemplo tueri.

CA-

CAPVT DECIMVM.

Ex perſonarum Ciuilium & Eccleſiaſticarum conditio-ne oſtenditur Poteſtatem Eccleſiaſticam non eſſe penes prophanos homines.

IDEM argumentum alijs duabus rationibus demonſtra- 240
re poſſumus; ex perſonis ſcilicet, & rebus. Perſonæ ſunt
Populus; & illi, quid populo cũ Poteſtate imperant: Neq; enim
video, qui tertium in Ciuili Magiſtratu conſtituere debeam.
Res voco, ius Eccleſiaſticum Magiſtratum conſtituendi, ius
Euangelium prædicandi, in negotijs fidei quid ſentiendum ſit,
definiendi, Sacramenta adminiſtrandi, leges Eccleſiaſticas
condendi, formam præſcribendi inuocationis & cultus diuini
vel Sacramenta adminiſtrandi. Perſonarum ea conditio eſt,
vt in Eccleſia Chriſti ius Eccleſiaſticum habere non debeant:
Rerum, vt in dictas perſonas cadere non poſſit.

ET primò quidem, vt penes populum Eccleſiaſtica ad- 241
miniſtratio eſſet, nequaquam diuina prouidentia per-
mittere debuit. Cùm enim inter tria Regiminis genera, po-
ſtremum ſit, vbi Populus cum authoritate imperat; quis cre-
dat reliquis relictis id Chriſtũ voluiſſe aſſumere, & in Eccleſi-
am ſuam inuehere, quod minus ad communem Reipublicæ
pacem, animorumque tranquillitatem faceret?

NATVRA multitudinis eſt (inquit Liuius) ſuperbè do-
minari aut humiliter ſubeſſe. At ſuperbum dominium 242
non fert humilis Chriſtus: humilem atque demiſſum animum *Decad. 3. l. 4.*
etiam in ijs, qui cum ſumma authoritate imperant, commen- *hom. 2. in. Ioa.*
dat & requirit.

SED & varium & incõſtans vulgus, affectibus plus æquo 243
indulget, priuata publicis commodis pærfert: non merita
virtutis expendit: & Beato Chryſoſtomo vix eſt aliud, quàm
quiddam tumultus perturbationiſque plenum è ſtulti-
tia maiori ex parte conſtans ac temerè compoſitum, ad
inſtar fluctuum maris varia pugnante ſententia ſæpe-

numero iactatum. Et huic Ecclesiastici Regiminis gubernacula commissa erunt?

244 *Plut. in Solon.* DICITVR demiratus Anacharsis, quod cum Athenæ sapientibus viris abundarent, Populus esset qui regeret, sapientes qui imperata facerent; populus qui iudicaret, sapientes qui causas forenses agerent.

245 *1. Cor. 12. Roman. 12.* COMPARAT nō semel cū humano corpore Apostolus corpus Christi mysticum, Ecclesiam (inquam) Catholicam: Quoniam sicut diuersis illud constat membris, ita varia in Ecclesia sunt hominum genera, quorum par potestas non sit, quemadmodum membrorum vna eademque conditio nō est, Habet igitur aliquem in hoc corpore locum Populus. Quem vero? principemne, id est, capitis? At qui cū manus, qui pedum, qui reliquarum partium subibunt vicem?

246 IPSA natura Populo hoc imperium non permittit. Quid ita? Proponamus nobis ob oculos tres hominum classes; populum, Christianos Principes atq; eos qui Ecclesiastica fulgent dignitate; Tum penes quemque iudicium sit, vt statuat cui Ecclesiæ gubernacula committenda censeat: Nunquid non omnes, aut in Christianos Principes aut in Ecclesiasticos viros oculos conijcient; & vel his vel illis Regimen commendandū definient; omni cogitatione de populo prætermissa? At consensus omnium naturæ vox est. Voce igitur naturæ, vt Populus nō præsit, sed subsit, definitur.

247 EADEM natura pro Ecclesiasticis viris egregie militat: ijsque non Principibus secularibus, sacrum Imperium defert. Neq; enim minus qui Religionis Christianæ sunt, eos, qui gerunt Ciuiles Magistratus, superant; quam Populum Ciuilis Magistratus. Quamobrem si idcirco Populo illi perferendi sunt, quia ipsorum dignior est conditio; non his, sed sacris hominibus Potestas Ecclesiastica committenda est.

248 ET licet cum populo Magistratus hi fortè commune non habeant, quòd affectibus nimium indulgeant; quòd pri-

uati

natis rebus studeant: rerum tamen gerendarum multitudo & magnitudo, quæ ipsis incumbant, meritò hoc onere eos leuauerit.

OFFICIORVM quoque eorundem illa conditio est, vt cum Ecclesiasticis functionibus non ita conuenire videantur. Quid enim magis hunc ordinem decet, quàm vt eius (Christum loquor) mores vitamque exprimat, cuius vices in terra gerit; & à quo omnis ipsius Potestas profecta est? Iam vero submissionem, animique mansuetudinem hic in primis postulat; quam etsi diligere Ciuiles Magistratus debeant, quorundam tamen igenia non admittunt, sed seueriorem disciplinam expetunt. 249

TACEO quòd natura, quod ratio, quod leges plurima Principibus viris permittant; quæ reprehensione non caret in Ecclesiasticis: quæ quia illi sibi salua esse velle possunt; atque his permitti nequeunt; æquissimum videtur esse, vt sacris hominibus, non prophanis summa rei Ecclesiasticæ sit commendata. 250

ADDE quòd semper in Christi Ecclesia spiritualis hæc Potestas fuerit; non tamen semper fuerint Reges atque Principes. Per annos propemodum trecentos fuit administrata Ecclesia; & quidem quàm fœliciter, docent insignia incrementa, quæ inter tot tantasque difficultates fecit. Attamen penes Reges, penes Imperatores, penes Ciuilem Magistratum Potestas hæc esse non potuit; quia quicunq; fere illis ipsis temporibus Respublicas gesserunt, coniuratissimi Christianorum hostes fuerunt. 251

AN fortè postquam animum ad Christianam Religionem adiecerunt Principes, Christique legem complexi sunt, & promisi; vnà cum Religione Potestatem hanc susceperunt? Non susceperunt. Sacerdotum semper, vt debuerunt, reueriti sunt authoritatem: se homines, ipsos Deos compellarunt: iudicârunt iniquum in illorum vitam inquirere; dignissimum, si vocem audirent, imperata facerent, sententiam sequerentur. 252

Quan-

253 QVANDO Christi Regnum in terris describit Isaias Propheta, eam docet fore ipsius conditionem, in quo Reges

Cap. 49. non cum authoritate imperitarent, sed ipso corporis habitu, se sub aliorum potestate esse testarentur. Et erunt, inquit, Reges nutritij; & Reginæ nutrices tuæ; vultu in terrá demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.

254 HIS rationibus vtrunq; demõstratum sit, penes quoscunque Laicos Potestatem Ecclesiasticam esse non debere Eædem, si modo æqui Iudices esse volumus, illam viris Ecclesiasticis libenter permittunt.

255 SVNT hi testimonio Christi velut quędam supra montem constituta ciuitas: sunt nobiliora in Christi corpore, id

Matt. 6. est, Ecclesia militante, mẽbra. Quocirca eis, vt imperarent, nõ vt imperata facerent, honor erat deferendus.

256 ET quoniam apud ipsos ratio plurimùm posset; non erat tantopere timendum, ne affectibus plus æquo indulgerent. Communia autem bona eò studiosius poterant sectari, quòd priuata, vt impensius Christianæ Reip. operas suas locarent, reliquissent.

257 ET plebem poterat impedire rei familiaris cura; Principes populi negotiorum causarumq; multitudo, cur minus bene in hoc spirituali Regno communibus commodis studerent. Ab vtroq; liberi erant Ecclesiastici viri: quapropter etiam hac ex parte, vtiliorem Reip. Christianæ operam nauare posse censendum est.

258 DENIQVE cum Regnum Christi spirituale sit atq; diuinum; quæso qui potius, quàm viri Spirituales atq; diuini illius Duces atq; Principes esse debuerunt?

CAPVT VNDECIMVM.

Ostenditur, Potestatem Ecclesiasticam non esse penes Ciuilem Magistratum prophanamq; multitudinem, ex officijs eiusdem Potestatis: & primò quidem ex Ministrorum Ecclesiæ Electione.

Officia

OFFICIA quoq; quæ Ecclesiastici Regimen propria habet, talia sunt, vt in proposito negotio magnum pro causa nostra argumentum præbeant; Nam si penes laicos Potestas Ecclesiastica constituta est, poterunt profectò quæcunque officia illius cum dignitate subire: Si verò hoc omnium communis consensus fateri recusat, oportet respondeant Aduersarij, qua ratione ad ipsos summam Imperij Ecclesiastici transferre velint. 259

AN fortè communis omnium sensus errat? Age id sequentibus definiamus: Initium à prima Ecclesiast. cæ Potestatis functione, quæ in Ministrorum Ecclesiæ vocatione consistit sumamus; atq; vtrum hæc Aduersariorum causæ potius, quàm nostræ faueat, examinemus. 260

SENTENTIA huius ex triplici negotio dependet, Ministrorum Ecclesiæ Electione, ipsorũ Ordinatione & Missione. Non enim quicunq; etiam Aduersarijs testibus, Ecclesię functionibus deputati sunt. Primùm oportet hi vocentur, seu ex communi populo seligantur: Deinde per sacram actionem ad diuina officia transferantur, & in altiori gradu constituantur: Ac tum demum, vbi ipsis Superiorum authoritate potestas facta est, Ecclesiasticum negotium agere possunt. 261

VT primum illud ad populum & prophanam multitudinem deriuent, vehemẽter laborant Aduersarij. Musculus causam probat ex Electione S. Matthiæ in Apostolum, & Stephani atq; aliorum sex in Diaconum: quorum illa in medio fratrum habita est; hæc per multitudinem discipulorum; non per Apostolos facta. Sed & Cyprianus affirmat (inquit) ex diuina autharitate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. B. quoq; Leo vult eum eligi in Episcopum; qui à Clericis electus, & à plebe sit expetitus Idem docet expectanda vota Ciuium, testimonia Populorum, honoratorum arbitrium. 262

Actor.1. *Actor.6.* *lib.1.epist.4.* *epist.87.* *epist.60.*

IISDEM armis, nos Caluin. oppugnat, atq; à suis populiq; partib. docet esse B. August. quo Eradiũ sibi futurũ successorem 263 *Inst.c.4. §.15*

upon:

epist. no. nominante ac eo mendante, acclamauit populus, & ad hoc totius consensit. Ex quibus tandem concludit bonus vir, nullam hodie neq; diuino neq; Ecclesiastico Iure canonicam electionem in toto Papatu superesse, quod in eligendo totum illud ius Populi, vota, assensus, subscriptiones sublata; atq; ad Canonicos integra Potestas translata sit.

264 HIS nos illi armis oppugnãt, sed tamẽ nõ expugnãt, sed nostrã causam probãt, sed suam deteriorẽ reddũt. Quæ quã verè, ex sequẽtib. manifestũ erit. Primùm omniũ nõ negamus, quin aliquæ partes populi atque Laici Magistratus in Episcoporum atq; Sacerdotum electione esse possint. Cum enim Potestas hæc Ordinis non sit, vt in scholis loquimur, sed Iurisdictionis: ista verò etiam Laicis committi poterat; potest profectò aliqua ipsorum hic authoritas esse.

265 QVID quòd etiam aliquando fuerit? Multitudini dixerunt Apostoli, id est, plebi iam ad Christi fidem conuersæ, Considerate ex vobis boni testimonij septem, quos constituamus super hoc opus. Et S. Paulus etiam ab ijs, qui foris sunt, vult habeant bonum testimonium, quibus Ecclesia gubernanda committitur. Docet B. Cyprianus publicè populi iudicio Ordinandum cõprobari. Leo Pontifex honoratorum arbitrium flagitat & vota Ciuium.

Actor. 6. *2. Timot. 1.* *lib. 1. epist. 3. 4.* *epist. 87.*

266 QVID quod & hodie populus non sit exclusus? Nunquid non in omnium sacrorum Ordinum collationibus disertis verbis astantium petitur testimonium, idq; eadem prorsus verborũ forma, quam in Cõcilio Carthaginẽsi legimus, & de qua SS. Patres locuti sunt? vt ob id iniquè agere iudicandus sit Kemnitius, dum à Concilio Tridentino docet anathemati subiectos, qui populi consensum expetunt: Non damnat Concilium, qui consensum populi expetunt; sed qui hunc tanquam necessarium creationi Sacerdotali & Episcopali astruunt.

Carthag. III.

267 IVSTISSIMIS verò de causis id olim factum esse, & nostro sæculo fieri, dubitandum nõ est. Primùm omnium hac ratione melius Ecclesiæ prospiciebatur, quoniam populi testimonium

monium ideo requirebatur, vt qui flagitiosius esset, populo reclamante reijceretur; qui irreprehensibilis, eo consentiente ordinaretur. Nam, vt Cyprianus habet, plebs singulorum vitam nouit plenissimè, & benè Concilium Carthaginense (vt Pontificale habet) docet non frustra à Patribus institutum esse, vt de Electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur & Populus; quod de vita & moribus præsentādi, quod nonnunquam ignoratur à paucis; sciatur à pluribus. *lib.1.epist. 4.*

DEINDE pauci & tranquillitati Ecclesiæ hac ratione rectius consulitur. Non habet populus, quòd iustè conqueratur, & difficilem se præbeat; si eorum imperio, quos ipse sibi quasi Magistros morū, & vitæ Duces postulauit, regatur: vt optimè cōstituisse sit iudicandus Leo M. ꝑpter pacā & placidam concordiam consonis omnium votis, qui Doctor pacis futurus sit, esse ordinandum. Idem his verbis insinuare videtur Origines. Requiritur, inquit, in ordinando Sacerdote, & præsentia populi, vt sciant omnes, & certi sint; quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquā, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod & Apostolus præcipit in ordinatione Sacerdotis, dicens: Oportet autē illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt. Hæc ille. 268 *epist. 87.* *sup. Leuit. Hom, 6,*

POTEST & illud dici, hac oratione ordinandos admoneri, sanctos mores, vitam integram & inculpatam, atque omnimodam perfectionem statum vitæ suæ postulare: ad quē non nisi tantis difficultatibus totq; hominum consensione atq; voluntate perueniatur. 269

INTERIM tamen neq; hodie, neq; olim tantum Populi Politiciq; Magistratus vox atq; sentētia valuit, vt, nisi ipsi cōsenserint; nihil possit Magistratus Ecclesiasticus; atque ipse pro sua authoritate Ecclesiastica munia dispensare queat. Quod ne pro nostra voluntate dixisse videamur, multis rationibus demonstramus. 270

271 PRIMVM omnium antiquiſsimis iuxta atque ſanctiſsimis Concilijs cauetur, ne populo Electio relinquatur.
Can. 13. Concilium Laodicenæ tempore D. Hieronymi celebratum, ſic habet. Non eſt Populis concedendum, electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promouendi ſunt.

DEINDE veterum hiſtoria probatur, ratas fuiſſe Vocationes, ad quas nullus Populi, nullus Principum ſecularium
272 um conſenſus acceſſit. Apoſtolorum canon eſt; ne, qui ſine populi ſuffragijs aut Epiſcopus, aut Diaconus, aut Presbyter electus
36. Can. eſt, dignitate ſua priuatus cenſeatur. Refert Hieronymus
Epiſt. 75. à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclium & Dionyſium, Epiſcopum per plurimos annos Presbyteros ſemper vnum ex ſe elegiſſe, non habito conſenſu populi.

TERTIO, Maiores noſtri etiam electiones eorum proba-
273 uerunt, & ſaluas atque integras eſſe voluerunt, quæ re-
Can. 18. clamante populo factæ eſſent. Sic in Antiocheno II. populo reluctante ordinatus Epiſcopus, honorem Epiſcopalem retinere iubetur.

274 QVARTO, ijdem Maiores noſtri gradu Epiſcopali iu-
30. Can. dicarunt deijciẽdos, qui pro Populi fauore, & Principũ voluntate Epiſcopatum eſſent ſortiti. Pro qua re ſic habet Canon Apoſtolorum: Si quis Epiſcopus ſecularibus Poteſtatibus vſus, Eccleſiaſticam per ipſos obtineat, deponatur; & ſegregentur omnes, qui illi communicant. Simile quid habet Nicæna
Can. 32. Synodus II. Omnis (inquit) Electio Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi per Poteſtates ſeculares facta, irrita ſit iuxta Canonem Apoſtolorum trigeſimum.

QVINTO, idem probat, quod Anathema in illos ferunt qui Canonicam Electionem à Principum Populiq; con-
275 ſenſu pendere dixerunt. Quod his verbis in Synodo generali
Can. 22. octaua (cui ante annos ſeptingentos initio Imperij Baſilij, Pontifice Adriano II, trecenti octoginta tres Epiſcopi interfuerunt; quodque cunctas Eccleſias mundi, Græcas atque Latinas repræſentauit) ſtatuitur. Sancta & vniuerſalis Synodos definit,

nemi-

neminem Laicorum Principum, vel Potentum, semet misce- cere electioni Patriarchæ vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi: ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio & contentio: præsertim cum in talibus potestatem, quemquam Potestatiuorum vel cæterorum Laicorum habere non conueniat, sed potius silere, attendere sibi vsquequo regulariter à Collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. Quisquis autem secularium Principum & Potentium, vel alterius dignitatis Laicæ, aduersus communem ac consentaneam, atque Canonicam Electionem Ecclesiastici ordinis agere tentauerit, anathema sit; donec obediat & consentiat in hoc, quod Ecclesia de Electione & Ordinatione proprij Præsulis se velle monstrauerit.

SEXTO, quia etiam ipsemet Magistratus Politicus hic nullũ ius se habere confessus est: quod de Valentiniano testatur Theodoretus, qui in Electione Mediolanensis Episcopi etiam rogatus, suffragium suum interponere recusat, Maius negotium esse id asserens, quam vt ab ipso præstari queat. 276 *lib. 5.c.6.*

QVOCIRCA longè alia fuit olim in hac ministrorum Electione atque Vocatione Ecclesiastici Magistratus conditio; quàm Politici & communis populi Non habuerunt ipsi ius eligendi, atque ex sua authoritate nominandi potestatem; vt sine ipsorum scilicet suffragijs Ordines collati nulli essent. Electio per suffragia, quæ vim haberet, & ius nominandi, penes solum Ecclesiasticum fuit Magistratum. Populorum, Ciuium, Laicique Magistratus in eligendo Episcopo & Sacerdote olim, quemadmodum & modo, & suffragium, votum, vox, sententia nihil fuit aliud, quam consensus animorum, testimonium bonum, & petitionis cuiusdam forma. 277

HINC pulchrè Stephanus Papa, Sacerdotum est (inquit) Electio, & fidelis Populi consensus est adhibendus; quia docendus est Populus, non sequendus. Et bene Leo Magnus Episcopos docet à Clericis eligendos, à plebe expetẽdos. Idem alibi Populo, Ciuibus & honoratis permittit vota, arbitriũ, & testimonium, sed Clericis Electioné defert & subscriptionem. 278 *Episto. decret. ad Rauenn. Epis. Epist. 90. Epist. 87.*

279 ATQVE ex his quiuis facilè perſpexerit, quàm nullo firmo ſolidoque fundamento nitantur, quæ contra nos initio ab Aduerſijs adferuntur. Probāt olim, Populi teſtimonium iuſtiſsimis de cauſis adhibitum fuiſſe: Nos non negamus. Et olim, & noſtris temporibus probamus. Itaque licet his armis nos oppugnent, minimè tamen expugnant.

280 AT verba, inquies, & teſtimonia citata præter hoc teſtimonium; & ſuffragium etiam atque iudicium populo tribuunt. Et hoc concedimus. Sed totũ hoc præter teſtimonium atque conſenſum nihil eſt. Id vel in ſolo Cypriani teſtimonio, in quo omne ferè præſidium Aduerſarij conſtituunt, manifeſtum eſt. Hic poſtquam ex diuina authoritate deſcendere dixiſſet, vt penes plebem ſit poteſtas eligendi dignos Sacerdotes, & indignos recuſandi; dicti ſui hanc cauſam ſubiungit, vt plebe præſente (ait) detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; ſignificans, quidquid hic populus habet, ſolo populi teſtimonio abſolui.

281 SED & noſtram cauſam confirmant ab Aduerſarijs contra nos allata præſidia. Quomodo quæſo? Producunt exemplum Electionis Matthiæ in medio turbæ habitæ. Multitudinem videmus, ſed multitudinis alias partes in toto Matthiæ negotio nullas deprehẽdimus, quam q̃d duos ex ijs, quib. vita Chriſti perfecta eſſet, quiq; Apoſtolatus munere pro dignitate fungi poſſent, ſtatuerint, totamq; cauſam Deo reliquerint; quod in populo nos quoq; probamus. Alioquin Petrus authoritatem rei dedit; prophetias in medium protulit; quod faciendum eſſet edixit. Reliquus cœtus nõ iudicauit de oratione Petri; nec, an verum dixiſſet, inquiſiuit; paruit verbo eius.

PRODVCVNT Electionem ſeptem Diaconorum per multitudinẽ factã. Et hîc noſtrã cauſam agunt. Quoniã
282 q̃d æquiſsimũ cẽſemus, multitudo cõſtituit qui præficiendi; Apoſtoli vero cõſtitutos pręficiũt: Deinde queadmodũ Apoſtoli Cheirotoneia ſeptem illos Eccleſiaſticis functionibus præficiunt: ita non niſi poſt manuum impoſitionem, ad Eccleſiaſtica offi.ia

officia admittendos censemus. Quærimus verò, vtrum si Apostoli non requisito multitudinis iudicio pro sua authoritate Diaconos designassent, quibus viduarum curam cōmisissent; Apostolorum factum multitudo carpere iure potuisset? Profectò non potuisset. Qua igitur ratione hodie multitudinis consensus tantopere vrgetur? 283

DENIQVE & deteriorem suam causam faciunt allatis exemplis Aduersarij. Exemplum Matthiæ id multis rationibus declarat. Primum omnium confirmat illud primatum Petri, quem admittere nolunt. Petrus enim fuit, qui in locum Iudæ substituendum Apostolum populo proposuit, velut is, vt post Chrysostomum habet Oecumenius, cui discipulorum præsidentia commissa est. Secundò damnat ipsorum verbi Ministros, qui cum primum ius sibi Ministerij in Ecclesia vsurparent & vocationem suam probare non possent, diuinitus sibi factam potestatem asserebant (Quomodo se defendit Beza in conuentu Poysiaco in Gallia Anno 1562) nullo externo testimonio id confirmantes, quod tamen adeo necessarium est, vt licet in Matthiæ Electione nullo opus fuerit, Deus tamē nulla ratione illud deesse passus sit: scilicet, vt Christiano populo suspecti essent, quicunque suæ Vocationis testes non proferrent. Damnat tertiò illos etiam, à quibus Ministri Ecclesiæ constituuntur, qui præter Apostolorum exemplum, quoscunque etiam Apostatas Monachos, & turpi vita infames, Ecclesiasticis muneribus præficiāt, scilicet ne desint qui populo æterni interitus certissimi sint authores. *in Acta.*

EODEM modo contra ipsos est, quod dē Diaconis producunt. Primum quidē, quia nō nisi accedente consensu Ecclesiastici Magistratus, quē ipsi reijciūt, sacri habiti sunt. Secundò quia Apostoli ipsos manuū impositione, id est, sacra Ordinatione ad sacra munia coaptāt. Deniq; vt nobis insultēt, Diaconos in sacris Ordinibus cōstituunt; quos alioquin non sacrorum hominum loco habent, sed mensæ tantùm ministros agnoscunt. Sed prosequamur reliquia. 284

CAPVT DVODECIMVM.

Ex Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, probatur Ecclesiasticam Potestatem non esse penes prophanam multitudinem.

285 ALTERVM, sine quo legitimus Ecclesiæ Minister esse non potest, Ordinitatio est. In hac, quia Aduersarij nullum suæ causæ patrocinium inueniunt, (nullum enim ius, nulla consuetudo, nulla Maiorum exempla hanc Laicis detulerunt; tito effunduntur in contumelias; & quicquid hic agitur, aut humanum inuentum comminiscuntur, aut tanquam lusum quendam populo ridendum proponunt.

286 VERVM non ita SS. Patres B. Augustinus, Hieronymus Leo Magnus, & Martyr sanctissimus Cyprianus, alijq; *lib. 2. con. epist. Parmen.* præclara Ecclesiæ Catholicæ lumina; qui hanc sacram Ordinationem, qua sacris ministerijs Ministri Ecclesiæ deputantur, *dial. con. luci.* Sacramenti loco habuerunt, non minus atq; Baptismum: atq; *epist. 79.* illorum proprium munus esse censuerunt, penes quos suprema *ser. de abl. ped.* in Christi Ecclesia Potestas semper constituta fuit. Neq; id sine iustissima ratione.

287 QVID enim est quod in hac Ordinatione ad veram absolutamq; Sacramenti rationem desideretur? Num externa & oculis subiecta cæremonia? At profectò vehementer cæcutiunt qui illam non obseruant. Qui verò eandem Christi Apostolorumq; exemplo negant commendari, inscitiã suam egregiè produnt. Forte nulla confertur gratia. At conferri etiam externis argumentis Dominus probauit, quando suis *Ioan. 21.* post Passionem Spiritum S. est impertitus.

288 PVLCHRE, quod dicimus, explicat B. Augustinus his verbis. Quod insufflasse (ait) in discipulos Dominus legitur *4. lib. 44. no. & vete. testa.* post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse, Accipite Spiritum Sanctum, Ecclesiastica Potestas collata intelligitur esse.

Quia

Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum Sanctum aguntur; idcirco cum Regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis, Accipite Spiritum Sanctum. Et quia verè ad Ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit dicens, Cuius tenueritis peccata, tenebuntur; & cuius remiseritis, remittentur ei. Inspiratio ergo hæc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur Ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apostolus dicit ad Timotheum; Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio ista non sine dono Spiritus Sancti esse crederetur. Ita S. Augustinus.

QVOCIRCA benè constituit Concilium Tridentinum, 289
Quòd, qui dixerit Ordinem siue sacram Ordinationē *can.23.*
non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris Ecclesiasticarum rerum imperitis, aut esse tantùm ritum quendam eligendi Ministros verbi Dei & Sacramentorum, anathema sit.

SI verò Ordinatio hæc Sacramentum est, profectò Admi- 290
nistros habeat oportet, non quoscunq; Christianos; sed il- *1. Corinthior.3.*
los tantùm, qui à Deo vocati & segregati, cū Paulo dicere possunt; Sic nos existimet homo, tanquam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.

ESTO; sint quædam Sacramenta, quorū Administer qui- 291
libet homo, etiam infidelis, si ita necesse sit, esse possit: At perpauca illa sunt, eaque ad vitam salutemq; consequendam prorsus necessaria: Sacræ autem huius Ordinationis, quemadmodum & reliquorum ea necessitas non est. Quocirca (quod ratio & rei dignitas postulat) non à quibusuis administrari debet.

DIVINA virtus est, & nec cœlestibus quidem spiritibus 292
tributa, quam exercent, qui Ecclesiasticis functionibus deputantur: Oportet igitur diuina authoritate collata sit. At quid.

quid diuinum in Populo, populiq; Principibus? Quomodo igitur sacris Ordinibus alios initiabunt, facultatemq; diuina munia exequendi facient? Præter omnem omnino sensum est, vt potestatem conferat, qui potestatem nullam habet.

293 *lib. 10 epist. 82.* QVOD dicimus, egregiè probat veteris Legis exemplū. Quid aliud (inquit Ambrosius) significatur, quòd post defunctum Aaron, non vniuerso populo; sed soli Moysi, qui est in Sacerdotibus Domini, imperauit Deus; vt exuuijs Aaron Sacerdotis filium eius induerent Eleazarum; nisi vt cognosceremus, quod Sacerdos consecrare Sacerdotem debeat, & ipse eum induere vestimentis, hoc est virtutibus Sacerdotalibus, ac tunc si nihil ei deesse indumentorum aduerterit Sacerdotalium, & aptè quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus?

294 *Actu. 6.* PROBAT idem nascentis Ecclesiæ consuetudo. Cum murmur factum esset Græcorum aduersus Hebræos, vt Actorum refert historia, ob viduas ipsorum despectas; id quod Apostoli optabant, plebs quidem Stephanum, Philippum, aliosq; viros fide & spiritu Sancto plenos delegit, quibus viduarum curam putabat committendam; sed tamen Apostoli, non plebs, delectis iam manus imposuerūt, & in sacrorum hominū album asscripserunt.

295 HABET eadem historia, Prophetas atq; Doctores, qui Antiochenæ Ecclesiæ præerant, non Populum, admonitos fuisse; vt in opus, ad quod diuinitùs assumpti erant, segregarent Paulum & Barnabam; atq; hoc ipsum, vt edocti erāt, post ieiunium atq; orationem fideliter manus ipsis imponendo, id est, Sacramentum Ordinis conferendo fideliter perfecisse.

296 *1. Timoth. 2. Titum 1.* NVM Cretæ prophanos reliquit Apostolus Paulus, vt constituerent per Ciuitates presbyteros? Num Populo Ephesi, ne citò manus cuiquam imponeret, præcepit? Hic Thimotheo, illic Tito loquitur. Apud ipsos, & quidem solos, ius esse manus imponendi, sacrisq; officijs alios deputandi, & rebus & verbis demonstrauit.

Et

ET Timotheus ad Episcopalem dignitatem fortè Populi ordinatione euectus est? Nō est. Per impositionem ma- 297
nuum presbyterij ipsi collatam esse gratiam Episcopalem, idē 2. Timoth 1.
testatur Apostolus. Habet Anacletus, Iacobum, qui iustus dice- Epist. 1.
batur à Petro, Iacobo, & Ioanne esse ordinatum, & successoribus hoc exemplo formam datam; vt non minus, quàm à tribus Episcopus ordinetur. Sic Philippū ordinatis Presbyteris & Episcopis, per reuelationem iussum redire in Asiam testatur lib. 10 de hi. Ap
Abdias.

NON concedunt Apostoli vllum munus Ecclesiasticum 298
laicis: non Sacrificium, non Baptismum, non manus im- lib 3. constit.
positionem, non benedictionem magnam siue paruam: quòd Apost. c. 10.
hæ res tantùm dentur per Episcopi manus. Iidem Apostoli docent pœnam Oziæ subiturum, quicunq; aliquod istorum non
promotus vsurpat. Dionysio Areopagitæ non est Sacerdos, de eccle Hier.
qui non Pontificalibus officijs ad hoc est prouectus. c. 5

HÆC primæ nascentis Ecclesiæ forma, omnibus sequen- 299
tibus temporibus obseruata est; & tantum abest, vt sit can. 4.
mutata, vt nouis constitutionibus egregiè sit formata. Extat Nicænus canon, in quo hoc modo statuitur. Oportet ab Episcopis eiusdem Prouinciæ Episcopum ordinari; aut si necessitas
vrgeat, à proximæ prouinciæ Episcopis. Extat & canon, quo can. 2.
modus ratioq; consecrationis describitur. Episcopus cum ordinatur (inquiunt Patres Concilij Carth. IIII) duo Episcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem super caput & ceruicem eius: & vno super eum faciente benedictionem, reliqui
omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput eius tangant. can. 3.
Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super caput tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant.

EANDEM rem exactiùs his verbis Dionysius refert. Pręsul igitur, inquit, vbi sacrandus offertur, vtroq; genu po- 300
sito ante altare, supra caput habet à Deo tradita Euangelia, De eccle. hi. c. 5

L manum

manumq Pontificis: atq; hoc modo à consecrāte Pontifice castissimis imprecationibus consumatur: Sacerdos verò coram sancto altari ponens vtrumq; genu, in capite habet Pontificis dexteram, & in hunc modū à sacrante Præsule sanctissimis inuocationibus consecratur. At verò Minister altero tantùm coram sanctis altaribus posito genu sacrantis se Pontificis dexteram in capite præfert, atq; ab eo perficitur precationibus ad eam rem accommodatis. Cuilibet autem ipsorum à benedicēte Pontifice Crucis imprimitur signum, & per singulos sacra prædicatio nominis, consummansq; consalutatio fit, cunctis sacri Ordinis viris, ipsoq; sacratore Pontifice eum salutantibus, qui ad aliquem sacrorum (quos diximus) Ordinum ea fuerit consecratione promotus.

301 QVOCIRCA mirum non est, si morem hunc ordinandi, præcepti vim habere fateatur Caluinus. Mirum non est, si facinus multis mortis generibus mulctandum dicat Socrates, quòd Ischyras quidā Sacerdotis munia obiuerit, cùm nunquam sacris initiatus fuisset. Sed & Cyprianus hac nota designat Schismaticos, qui se Præpositos sine vlla Ordinationis lege constituerunt, &, nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumpserunt.

lib. 4. inst. ca. 3. 5. 16.
lib. 1. cap. 20.
lib. 1. de vn. Eccesiæ.

302 CONCLVDIMVS ergo cum Concilio Florentino, sacre huius Ordinationis ordinarium Ministrum esse solum Episcopum. Probamus Synodi Tridentinæ anathema in eos, qui ab hac Catholica & omnibus seculis obseruata doctrina superbè recedunt, atq; Episcopos vel non habere Potestatem ordinandi, vel eam, quam habent, esse ipsis cum Sacerdotibus communem, asserere non verentur.

in vnio arm.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Demonstratur Ius Missionis Ministrorum Ecclesiæ non esse penes Laicos, & ob id nec penes eosdem esse posse Ecclesiasticam Potestatem.

Electio

ELECTIO igitur sacrorum hominum penes laicos non est: Non est penes eosdem Ius Ordinandi. An fortè Pote- 303
statem habent mittendi? Age id tertiò loco inquiramus.

PRIMVM omnium hîc certum est, malè & præter ratio- 304
nem facere eos, qui propria authoritate à nullis vocati aut approbati, pro sua libidine ius sibi prædicandi Euangelium assumunt, aliaque Ecclesiastica officia, quæ propria authoritate fieri nequeunt, exercent.

QVID ita? Quia non possunt causam suam iustam facere exemplo Prophetarum, atque eorum, qui in veteri lege 305
in Religionis negotijs cum potestate præfuerunt; non Apostolorum; Non Maiorum nostrorum. Primi illi non nisi à Deo vocati, & cum authoritate missi, aut Dei voluntatem populo significarunt, aut populi partes apud Deum pia supplicatione, sacrificiorumq; immolatione egerunt. Apostoli tum primum Religionis nostræ munia obierunt, vbi à Christo ipsis plena potestas facta est. Maiores nostri nō Pastorum, sed Pseudoprophetarum loco habuerunt eos; quicunque alijs quàm Apostoli atque Prophetæ vijs ad eadem Ecclesiæ officia peruenirent.

NEQVE æquitate rei se tueri possunt. Quia licet grauis- 306
simum sit Religionis negotium, & prorsus diuina Ecclesiasticorum administratio, in eaque proximorum salus egregiè promoueatur: non tamen oportet, temerè eandem omnes sibi vsurpent. Quinimo, quia grauissimum est opus, atque augustissimum; conuenit, vt, quibus illud committendum sit, maturiori iudicio constituatur, ne res alioquin diuina hominum vitio atque moribus vilescat authoritatemque perdat.

AN fortè Scripturæ se tuebuntur authoritate? At B. Paulo non possunt prædicare nisi missi; Nec assumunt legi-
timè honorem, nisi qui vocantur, vt Aaron. Quid? Cōstantissi- 307
mè eos Scriptura damnat, qui Domini se Prophetas profiten- *Rom. 10.*
tur, &, quod à Domino sint missi, testari non possunt. Non *Heb. 5.*
permittit, vt fides eis adhibeatur, etiamsi, quæ prædicunt eue- *Deut. 13.*
niant: Præcipit extremo supplicio afficiantur; Conqueri- *Deut. 18.*
tur quòd currant non missi; quod etiamsi loquentem Deum *Iere. 23.*

 Iere. 15

308 non audierint, prophetent nihilominus visiones mendaces, diuinationes fraudulentas.

Matt. 7. ADDE quod hac re, vltro inquam obtruso obsequio tanquam jnfami nota eos designet Christus, doceatque sub pelle ouina lupum dissimulare, & non nisi vt gregem Domini disſipent, ac perdant, & à salutis semita ad spaciosissimam perditionis viam deducant, se Christiano Populo duces exhibere. Eadem nota describit Apostolus Petrus eos, qui in nouissimis temporibus Christi doctrinam euertent, vt suas possint statuere fabulas, & libidini pro voto satisfacere. *2. Pet. 2.*

309 HOS, vt loquitur Cyprianus, designat Spiritus sanctus sedentes in pestilentiæ Cathedra, pestes & lues fidei; serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes; quorum sermo vt cancer serpit; quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra eiusmodi clamat Dominus; ab his refrænat & reuocat errantem plebem suam, dicens; Nolite audire sermones Pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrãtur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini, dicunt ijs, qui abijciunt verbum Dei, Pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis: omni qui ambulat in *de verit. Eccl.*
310 errore cordis sui; Non venient super te mala. Non locutus sum ad eos & ipsi prophetarunt. ita Cyprianus.

HINC omni tempore certis symbolis constare Deus voluit, qui ab ipso missi essent, quibusuè fidelis populus credere tutò debuit. Quod dicimus videre licet, tam in illa, quam Mediatam siue Ordinariam Missionem; quàm in illa, quam Extraordinariam atque Inordinatam in scholis vocamus. In Immediata causam nostram probant Prophetæ à Deo, & Apostoli à Christo vocati: in Mediata ab Ecclesiæ Prælatis
311 constituti Rectores.

Exod. 7. &c. PRIORIBVS fides adhiberi potuit, quia Missionem suam vel miraculo comprobarunt; (sicut Moyses apud Hebræos in Ægypto fecit, & Apost. Vocationis doctrinæq; suæ fidem vbiq; gentium astruxerunt) vel signa quædam illu-

sit,

ſtria eorum Vocationem teſtata ſunt; (vt ignis, qui de cœlo delapſus in populi hoſtiumq; conſpectu ſacrificium abſumpſit, & Heliæ teſtimonium præbuit:) vel reuelatio quædam à Deo facta cæteros docuit, tutò illis credendum & fidendum eſſe; (quemadmodum Damaſci Ananiæ reuelat Deus, vt ſciat Paulum vas electionis, & Doctorem Euangelicum eſſe. *3. Reg. 8.* *Act. 9.*

312 POSTERIORES quidem nō ijſdem argumentis Miſsionem aſtruunt; ſed alijs & fortè non minus firmis. Quoniam vt certò conſtaret, qui nam à Deo per homines mediatè mitterentur; in veteri Teſtamento, id ex hereditaria ſucceſsione in Aaronis ſtirpe voluit deprehendi; In noua vero Lege ex Hierarchis Eccleſiaſticis; qui per myſticā manuū impoſitionē orationē cōſecratoriā (Dionyſius ἐπίκλησιν ἱεροποιὸν vocat) Presbyteros veroſque miniſtros ordinant, & eos legitimè vocari atque mitti declarant. *Ec. Hier. c. 1.*

313 SED nec Chriſtus fidem ſibi haberi voluit, niſi poſtquam diuinitus ſe à Patre miſsum eſſe certiſsimis argumentis conſtitiſſet. Quo tempore primum opus, ad quod perficiendum fuerat miſſus, aggreſſurus erat, præter teſtimonium, quod grauiſsimum à Baptiſta Ioanne accepit; Pater cœleſtis hunc ſuum eſſe filium, eiuſque ab omnibus vocem audiendam, verbis atque horrendis prodigijs declarauit. Et quia forte de Patris voce non omnibus conſtare, & Baptiſtæ teſtimonium tanquam amici ſuſpectum eſſe potuit; grauioribus argumentis, inſignibus editis miraculis, quæ omnem naturam ſuperarent, ſe probauit; vt non immeritò horum magnitudine multitudineque victi quidam, in has voces proruperint: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter: nemo.n. poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis. *Matt. 3.* *Ioan. 3.*

314 QVAPROpter ijs Presbyteris ſolùm obediendum docet Irenæus, qui ſucceſsionem ſuam habent ab Apoſtolis: Reliquos, qui à principali ſucceſsione abſiſtunt, & quocunq; loco colliguntur, vult haberi ſuſpectos, vel quaſi hæreticos, vel malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, aut rurſus vt Hypocritas, queſtus, vt ipſe loquitur, gratiam aut vanæ gloriæ operantes. *lib. 4. aduerſ. hæreſ. c. 43.*

 Miſsio

315 MISSIO hæc adeo necessaria est, vt etiam Ecclesiæ hostes ipsam requirant. Non satis est, inquit Martinus Lu-
in 1. cap. ad Ga. therus, habere verbum & puram doctrinam; oportet etiam vt Vocatio certa sit, sine qua qui ingreditur, ad mactandum & perdendum venit. Nunquam enim fortunat Deus laborem eorum, qui non sunt vocati, & quanquam quidam salutaria afferant, tamen nihil ædificant. Et rursus: Non est irruendum in alienam messem, vt Diabolus incitare solet suos Ministros, vt non vocati currant, vt prætexant Zelum hunc ardentissimum; dolere sibi, quòd homines tam miserè seducantur, se veritatem velle docere, & seductos è Diaboli laqueis eripere. ita
316 Lutherus.

li. 4. inst. c. 14. IN eandem sententiam loquitur Caluinus: Ne homines inquieti ac turbulenti, inquit, temerè se ad docendum vel regendum ingererent (quod aliâs futurum erat) nominatim cautum est, ne quis sine vocatione publica in Ecclesia munus sibi vsurpet. Et paulò pòst; vt ab hominibus designentur Episcopi, omnino ex ordine legitimæ Vocationis esse, nemo sobrius inficiabitur, quoniam in hanc rem tot extant Scripturæ testimonia. Hæc Caluinus.

HINC est, quòd, cùm è Saxonia eiectus Munsterus Mulhusium pergeret, sua dogmata ibi sparsurus, benè ad Se-
317 natum Mulhusij scripserit Lutherus in hæc verba; Rectè facturum Senatum, si roget ex illo, quis docendi munus ipsi cōmiserit: &, si Deum nominet authorem; tum inbeat hanc suam Vocationem, aliquo euidenti signo comprobare. Quod si repræsentare non posśit, vt repudietur. Hoc enim esse Deo proprium & familiare, vt quoties formulam consuetam & rationem ordinariam velit immutari, vt tum voluntatem suam aliquo signo declaret. Hæc de Luthero ad verbum Sleidanus lib. 5. hist.

318 ATQVE hoc pro ingressu causæ nostræ primo loco sit dictum. Addimus secundum, eorum quoque nos non pro-
L. si quemquā de Episc. bare studia, qui licet per vim gubernacula Ecclesiasticæ Reip. non inuadunt, omnibus tamen rationibus, vt ipsis commendentur, à Legitimo Magistratu procurant. Tantum ab

ambitu debet esse sepositus Episcopus (inquiūt Leo & Anthemius Impp. vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi.

NECESSE profectò est (quod absq; peccato fieri nequit) 319
multa sibi tales polliceatur; necesse est, multa de se præ- *1. Timoth. 3.*
sumant. Quid ita? Quoniam insignis eorum debet esse virtus, quibus Ecclesiæ administratio committitur. Oportet, inquit Apostolus, Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem; sed modestum: non ligitiosum, non cupidum, suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.

IN eandem sententiam loquuntur B. Hieronymus & Gre- 320
gorius. Hieronymus sic habet. Tanta debet esse conuer- *super, Si quis*
satio & eruditio Pontificis, vt omnis motus, & gressus, & vni- *Episcopalium.*
uersa eius opera notabilia sint: vt quicquid agit, quicquid lo- *in postorali.*
quitur; doctrina sit populorum. B. Gregorij hæc sunt verba: Pensandum valde est, ad culmen regiminis quisq; qualiter veniat: atq; ad hoc ritè perueniens, qualiter viuat; & bene viuēs, qualiter doceat; & rectè docens, infirmitatem suam quotidie cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentionī vita contradicat: aut vitam doctrina destituat: aut doctrinam præsumptio extollat: Virtutibus pollens coactus ad Regimen veniat, virtutibus vacuus ne coactus accedat. Et pulchrè Gregorius Theologus teste Iustiniano (in Auth. de ordinat: Episcopi coll. 10) Mundari, inquit, oportet primùm, ac deinde mundare: sapere ac deinde sapientiam docere; lucem fieri, & postea illuminare; propinquari Deo, tum alios adducere: sanctificari, tum sanctificare.

SED & ouium Christi ipsis cura commissa est, quas opor- 321
tet contra lupos tueantur, & pascant verbo, doctrina, vi- *hom. 11. in Eze.*
tæ integritate, morum grauitate, atq; Sacramentis Ecclesiæ. Quod si Pastoris negligentia oues patiantur; nunquid nō ouiū sanguis de manibus quæretur Pastoris? Vbi subiectus ex Præ-

lati.

in Moral. lati culpa moritur, inquit B. Gregorius; ibi is qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Quanto verò hîc opus est studio? quanta cura & sollicitudine? Non debet, inquit idem Gregorius hominum ducatum accipere, qui nescit homines benè viuendo præire. Multo consilio & prudentia opus est Pastori,

In Dial. lib. 3. vt Chrisostomus loquitur, & mille (vt dicitur) oculis ad speculandam vndique habitudinem, quas gubernat, animarum.

322 GRAVISSIME reprehenduntur Pastores, qui non gregé, sed se pascunt, qui lac commedunt, lanis operiuntur; quod crassum est, occidunt; gregis autem nulla cura, nulla miseratione tanguntur; non consolidant, quod infirmum est; non sanant, quod ægrotum est; non alligant, quod confractum est; non reducunt quod abiectum; non quærunt, quod perierat: quorum negligentia oues errant per montes, feris expositæ & obiectæ. At inter tot tantasq; difficultates, quam facilis error? quàm grauis casus? Timendum ne qui periculum amant, pereant in periculo.

323 *h. m. 6. de lau. Pauli.* QVID? & ipsa vita, si ita ouium salus postulat, pro ipsis exponenda est? Nequit boni Pastoris officio fungi, qui pro ouibus animam ponere non est paratus. Non potest cum subditorum fructu præesse, qui millies (vt cum B. Chrysostomo loquar) mortem adire pro subditis recusat.

ADDE quod in extremo iudicio pro ouibus stare debent

324 Pastores. Ipsi, inquit Apostolus, peruigilant, quasi rati-

ad hebræos 13. onem pro animabus vestris redditiri. Sanguinem ouium perditarum de manibus Pastorum quærit Dominus. Si verò tunc vix iustus securus est: si in propria causa vix sibi quisq; sufficiens est; nunquid nō præsumentis animi est, aliorum sibi onera salutemq; imponere?

325 NON commendauit Petro Dominus grauia variaque ieiunia, non continuum orationis studium, non carnis mortificationes, aliaq; Christianæ Religionis pia exercitia: commendat oues; & quidem tertiò repetita oratione; vel hac verbo.

verborum iteratione, quantum negotium committat onus humeris imponat sufficienter declarans.

PROFECTO altus est locus in quo constituti sunt Ecclesiastici speculatores, Christi in terra vicarij. Sic nos (in- 326
quit illorum quidam) existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Christi. Periculis igitur plena est *In pastoral*
conditio; grauis, si ruere contingat, casus. Magna sublimitas *Ibid.*
(inquit Ambrosius) magnam debet habere cautelam: honor grandis grandiori debet solicitudine circumuallari. Cui plus creditur, plus ab eo exigitur. Honor quidem Episcopalis (habet idem) coram hominibus præclarus est: sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quantò præ cęteris Episcopalis gradus altior est; tantò, si per negligentiam dilabitur, ruina *l.3.moral.*
grauior est. Non est tanti gaudij excelsa tenere, quanti mœroris est de excelsis corruere. Et pulchrè B. Gregorius. Subtilissima ars viuendi est culmen tenere, & gloriam reprimere: esse quidem in potentia, sed potentem se nescire. Monstrosa res est, teste Bernardo, ~~gradus summus, & animus infimus;~~ *de consid.l.2.*
~~sedes prima, & vita ima~~; lingua magniloqua, & manus ociosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; caput canum, & cor vanum; facies rugosa, & lingua nugosa; ingens authoritas, & nutans stabilitas.

MEMINISSE debet Ecclesiæ Prelati se seruos esse oportere prudentes & fideles in domo Domini; fideles in bo- 327
nis Domini conseruandis; prudentes in ijsdem augendis. Debere timere Dominum venientem & rationem aliquando administratæ domus exigentem; atque tunc nimis miseram futuram conditionem serui infidelis & imprudentis. Quis porrò vbique satis prudens? vbique satis fidelis!

PERPENDISSE hoc videntur Petrus & Paulus Aposto- 328
li. Petrus, dum obsecrat tanquam Christi passionum testis, & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ cõmunicator, vt *1. Pet. 5.*
pascãt Episcopi gregem Christi, prouidẽtes nõ coactè sed spontaneè secundũ Deum; non turpis lucri gratia, sed volunta-

 riè,

2.Tim.2. neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Paulus verò, quando grauissima oratione hortatur Timotheum, non gratiam sibi per impositionem manuum datam negat, dum vult, laboret sicut bonus miles Christi, se probabilem exhibeat Deo operarium, inconfusibilem, rectè tractantem verbum Dei.

329 Actu.20. QVAM verò multa sunt in illa Pauli ad Maiores natu Ecclesiæ Ephesi habita exhortatione, quæ quantum sibi Prælati onus imponant, quantoque in periculo versentur, nisi suo officio faciant satis, demonstrant? Docet illam Ecclesiam ipsis commissam esse, quæ sanguine filij Dei sit comparata; Docet à Spiritu S. eidē esse præfectos; docet se triennio dies & noctes obtestatum esse, & obsecrasse, attenderent, vigilarent, ne abducantur à veritate ipsis commissi fideles, ipsorumque negligentia grauissimum animarum damnum patiantur.

330 HANC difficultatem Maiores nostri intellexerunt; ideoque, vt minus eorum, quibus Ecclesiæ gubernatio concredita est, periculum esset, voluerunt tot gradibus ad summum regimen peruenirent: nempe vt hac ratione & paulatim informarentur, & scirent rem esse arduam atque difficilem, ad quam Ep. ad Hesy tot gradibus perueniretur. De hoc ascensu post alios sic egregiè Epis. Salonit. docet Sozemus Pōtifex: Hoc autē, inquit, specialiter & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat, ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per Ordinem non fuisset, & temporis approbatione diuinis stipendijs eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ Sacerdotium aspirare præsumeret: & non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum etiam in Ordinatores eius vt carerent eo Ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum. Vide sequentia.

331 INTELLexerunt eandem difficultatem viri egregia virtute illustres, quos omni tempore non paucos habuit Ecclesia: quorum alij non nisi summa vi, vt Ecclesiæ administrationem

tionẽ susciperent, cogi potuerunt; alij vbi ad eiusdem gubernacula sederunt, conditionem suam deplorarunt. In horum numero est B. Augustinus, cuius lachrymis populus commoueri non potuit, ne Episcopo ordinandum, & in Sacerdotem cõsecrandũ offerret, vt testatur Paulinus; Est B. Chrysostomus, qui Sacerdotium fugiebat, & Episcopatum renuebat etiam à Basilio & pluri mis cum lachrymis rogatus; Est Moyses Monachus, quem nisi futura Arabum ad Christum conuersio & vrgens Christianorum necessitas commouisset, nunquam Episcopatum suscepisset: Est B. Ambrosius, quem Arrianorũ cum Catholicis reconciliatio, & Valentiniani decretum, vt Mediolanensem Episcopatum acceptaret, compulit. Est Cornelius, qui teste Cypriano contra voluntatem, Episcopus factus est. Est Gregorius Neocæsariensis, quem Phædinus Amaseæ Ecclesiæ Præfectus omnibus vtens artibus & machinis, non potuit adducere ad Sacerdotium. Est Nepotianus, qui omnium in se tantò magis studia excitabat, quantò magis Presbyterij Ordinem recusabat.

In eius vita. Chry l. 1. de sacerdotio. c. 3 & lib. 2. c. 4. Nice. l. 11. c. 42. Sozo. l. 6. c. 24. lib. 4. ep. 2. Nyssen. in vita eius. Hier. in epita. Nepotia.

INTELLEXERUNT eandem illi, qui vel honestè recusarunt Episcopatum; vel si honestè recusare non potuerunt, ne ad ipsum assumerentur, aut stultitiam simularunt, aut in se crudeles fuerunt. Effrem olim Edissæ Ecclesiæ Archidiaconus vacante Episcopatu, stultum se, & insensatum simulauit; ne (quòd omnes sperabant) Episcopus crearetur. Ammonius quòd venisse permultos videret, qui eum ad consecrationem Episcopalem adducerent, primùm multa præfatus de huius oneris grauitate, & sua indignitate; vbi non desistere eos perspexit auriculam sibi dexteram amputauit, & vel nunc demum, inquit, abite; quandoquidem deinceps etiam volentem Ecclesiæ constitutio non recipit. Insistentibus rursum sese sibi linguam etiam præcisurum minitabatur; nisi abcederent. Eodem tempore Euagrius Monachus & Sacerdotium & Episcopatum sibi interdixit; etsi ad vtrumque traheretur. Synesius Ptolomaidis Episcopus omni robore omnibusque machinis, vt ipse loquitur, Episcopatũ declinauit, & pro illo multas mortes elegit.

332 Nice. l. 5. c. 16. Nic. l. 11. c. 37. Nic. l. 11. c. 37. ep. 11. ad Pres.

 Et

333 ET profectò si rectè iudicauerimus, iam dicti viri non solum difficultate officij, cui impares se iudicabant, excusa-
ad hebraeos 5. re se possunt: verùm etiam Dei exemplo & institutione tueri. Primùm non se illeglorificauit, inquit Apostolus, vt Pontifex fieret. Deinde vbi insignem, ob patratum in panum mul-
Matt. 20. tiplicatione miraculum, de ipso existimationem concepisset
Ioan. 6. populus, iamq; vt Regē faceret, constituisset; fuga regnum declinauit. Quid quod duorum Apostolorum primatum appetentium desiderium coarguit? Quid quod apud suos esse non patiatur? Non erit, inquit, ita inter vos.

FORTE causam nostram & illud confirmat, quod infœli-
334 ces olim exitus sortiti sunt non pauci, qui, licet non obti-
lib. 4. c. 22. nuerint, Episcopatum expetierunt. De quorum grege sunt Theobutus, qui, vt Eusebius loquitur, turbauit omnia; Montanus, qui noua finxit dogmata; Arrius, qui Christi negauit diuinitatem; Aërius, qui Arrij Hæresin additis nouis dogmatibus honestauit; Ioannes V Vicleff, cuius in Constantiensi Cōcilio damnati errores.

335 HIS porrò sic cōstitutis intelligimus primo, paruā salutis suæ curam gerere, qui vno (cui tamen vix satisfacere possunt) Episcopatu haud contenti; alios non sibi imponi, vt Ecclesiæ rationibus sic melius consultum sit, patiuntur; sed &
In Pastoral. sponte libenterq; suscipiunt: nec de pascendis gregibus; sed colligendis redditibus curant. Impar, inquit B. Gregorius, quisq; inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur ad multa.

INTELLIgimus secundo, in periculo versari non paruo, qui officium ad quod electi sunt, non qua debent diligen-
336 tia administrant, sed curam alijs committunt; & tantum à gre-
Sess. 6. c. 1. de refor. ge distant, vt nec vocem Pastoris audire; nec exemplū, q̄d imitari debeant, videre; nec in periculis, ad quem confugere possint, & à quo auxilium debeant sperare, sciant. Quare non immerito Concilium Tridentinū constituisse dicimus, quod quicunq; à Parochiali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali, Ecclesia, legitimo impedimento, seu iustis & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesin morando abfuerit, quartæ partis fructuum vnius an[illegible],

fabricæ Ecclesiæ aut pauperibus, per superiorem Ecclesiasticũ applicandorum, pœnã ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerauerit; aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente verò contumacia; vt seueriori sacrorum canonuum censuræ subijciatur. Vide sequentia.

INTELLIGIMVS tertiò, Christi Ecclesiæ iniuriam magnam facere, Christiq; fidelibus pessimè consulere eos, apud quos in hoc Missionis negotio plus familiæ priuatus amor, quàm communis Christianæ Reip. vtilitas valet: per quos stat, cur digni ab hoc tantopere commendato officio reijciantur; indigni verò præter omnem æquitatem assumantur. Aliæ cogitationes fuerunt Moysi, qui, teste Origine, etsi filios haberet, quibus poterat dignitatem propriam relinquere; relinquere tamen noluit; vt sciremus, Principatum in populo sanguini non esse deferendum; sed his, quos bona vita, doctrina sapientiaq; commendat. Etiam Diaconis dicitur: Probetur; & sic ministrent. Principatus non sanguini, inquit Chrysostomus, debetur, sed meritis. Inutiliter regnat, qui Rex nascitur, non meretur. 337

hom. 23. in nu.

lib. 4. 1. polit.

INTELLIGIMVS quartò, multo deteriorem esse eorum causam, qui, vt Ecclesiæ gubernationi præficiantur, magna etiam pecunia erogata, alijsq; non ferendis rationibus procurant. Hi, præterquam quod cum supradictis in apertum periculum salutis se conijciant; quod Christi, Apostolorum, Maiorumq; vijs non insistant; grauissimum etiam Simoniæ crimen, multis iam nominibus damnatum incurrunt. 338

Vide L. si quis. de episc. & cler.

INTELLIGIMVS quintò, (quod ad præsens negotium maxime facit, & tertio loco in hoc capite assertum volumus) cùm nec vllus sibi priuata authoritate ius gubernandæ Ecclesiæ vsurpare possit, nec deceat quenquam propensam suam operam promptumq; studium obtrudere: Potestatem dignos Ecclesiasticis functionibus Ministros præficiendi, penes alios esse oportere. 339

340 CERTVM autem eſt hanc Poteſtatem Deum non reſeruaſſe ſibi. Qua enim ratione Populo Chriſtiano conſtabit, cui ſuam ſalutem in terris commendare debeat; cùm quiuis aſtruere poſsit Miſsionem ſuam Dei authoritate niti? An fortè credendum omnibus? At eorum, qui ſe diuinitus aliquãdo miſsos dixerunt, contraria ſtudia, diſpar doctrina; infœlices exitus. Quemadmodum olim neceſſe erat Vocationis ſuæ legitimos teſtes producerent, qui ſe miſſos aiebant: ita prorſus hoc noſtro ſeculo, quod phanaticis ſpiritibus abundat, neceſſarium eſt.

341 APVD quem igitur Poteſtas hæc conſtituta eſt? Apud eũ, qui ſummam in Eccleſiam Poteſtatem habet. Id manifeſtum cuiq; erit, ſi ſepoſitis parumper affectibus, &, quæ forte iudicium remorari poſſunt, exemplis; (quamuis nulla eſſe poſtea demonſtrabimus) æquitatem eorum, quæ dicimus, ex ipſa natura ſpectare volet.

342 QVIS in Republica ſingulos Magiſtratus diſpenſat? nonne is, penes quem ſumma totius Reip. conſiſtit? In exercitu, quis ſuos cohortibus Centuriones, quis Præfectos, quis Duces deſignat? nonne ſupremus Imperator? In priuata domo quis officia committit? An non paterfamilias? per quem in Regno prouinciarum, Regionum, Vrbium, Oppidorum Adminiſtratores conſtituuntur? An nón per Regem, qui Regni eſt caput? Quod ergo in Regno, quod in Repub. quod in exercitu, quod in qualibet familia docet natura, optima rerum Magiſtra; id in Chriſti Eccleſia, quæ & regnũ, & Reſpub. & caſtrorũ acies ordinata, & ampliſsima familia eſt, deſiderabitur?

343 SI, quod docemus, ex his nondũ perſpicitur; licet id ex cõtrario facilius deprehendere. Conſtituamus ita eſſe, vt in Regno non Rex, ſed ſubditi Prouinciarum Præfectos deſignent; quæ iam partes erunt Regis? Magiſtratus in Repub. diſpenſent Ciues; quod officium erit ſupremi Magiſtratus? Duces cohortibus non Imperator, ſed ipſi milites conſtituant; quàm miſer quæſo erit exercitus? Vt verò ancillæ famulique domini-

dominentur in familia, inter ea refertur à Sapiente, quæ ne ter- *Prouerb.30.*
ra quidem sustinere potest.

CVI totius Regni exercitus, Reip. familiæ administratio 344
concredita est; huic rationes, quibus singula administrā-
da sint, perspectas esse oportet. Quare, qui quibus officijs atq;
negotijs sint, præficiendi; nullus melius ipso definierit atque
constituerit.

POSTVLAT ergo naturæ lex, vt, apud quem in Ecclesia 345
summa Potestas est, penes eundem sit, quòd vocare, quòd
mittere, quòd Ecclesiasticis functionibus præficere possit. Si
verò hæc Populo, Populiq; Principibus commissa non est; vt
pòst demonstrabimus; nec committi debuit, vt probatum est;
profectò præter rationem agunt, qui omne Vocationis Missi-
onisq; ius vel Populo, vel Populi Principibus deferunt. 346

SED nec illi Christi voluntate ius illud obtinent: quod sic *Ioan.20.*
demonstramus. Habuerunt Apostoli potestatem mitten-
di: id concedit Aduersarius. Quærimus autem, quo iure habue-
rint? nonne illo; Sicut misit me Pater, sic mitto vos? Atqui verò
non possunt se hoc tueri Laici: Siquidem Apostolis, non Laicis
locutus est Dominus. Quid quod hoc iure Laicis facultas mit-
tendi adépta est? Quare? Quia qua ratione mittere potuit Do-
minus; mittere potuerunt Apostoli (ius enim suum Apostolis
communicauit) At solus ipse potuit mittere, qui solus Eccle-
siam constituit. Potuerunt ergo soli mittere Apostoli.

EXAMINEMVS quoq; primordia Reip. Christianæ. 347
Quemadmodum Apostoli à Christo, ita ab Apostolis ali-
os missos esse, partim sacræ litteræ, partim illorum temporum
probat historia. Misit Petrus Clementem; Paulus Titum atq;
Timotheum; Augustinum Zozimus, Cœlestinus Germanum
&c. Quæ hîc partes Laicorum?

EORVM, qui mittuntur, multò inferior conditio est: quā 348
qui mittunt. Non enim Apostolus maior est eo, qui mit- *Ioan.13.*
tit eum. At quanto interuallo Populum Populiq; Principes

post

in pectorali post se relinquũt Ecclesiæ Rectores? Honor & sublimitas Episcopalis, inquit Ambrosius, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati; longè erit id inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum; & deosculata eorum dextera orationibus eorum se credent communiri.

349 SI Politicus Magistratus, aut Populus ius habet mittendi; vnusne aliquis erit, qui omnibus populis Ministros designare debet; an singuli suis ciuitatibus præficient? Primum nullus dixerit; quia nullus hactenus hanc consuetudinem in Ecclesia obseruauit. Si verò singuli suis prouidebunt, an non necesse est disdiapason in causis Religionis omnes statim dissentiant?

350 QVÆRAMVS & illud, præscribetnè Magistratus Ministris à se constitutis, quid populum docere debeant; an à Ministris, quid ipsi sentiendum sit, discet? Secundum hoc meritò iniquum iudicatur, vt ab alterius sententia dependeat, qui omnem alteri potestatem contulit. At si Ministrorum sententiam sequi debet, verendum est, ne non, quod res est; sed, quod Populus audire velit, Ministri doceant; & ijs placere studeant, eorumq; gratiam aucupentur, à quibus Ecclesię gubernacula acceperunt.

351 DEINDE respondeant oportet Aduersarij; Cùm populi principumùe suffragijs ratas Ecclesiasticorum hominũ Missiones esse volunt, num solis eorum suffragijs sint cõtenti, an vero etiam Ecclesiastici magistratus calculum postulent. Si postulant, iam nulla Ministrorum est authoritas. Tantũ enim abest, vt eorum Missionem ille confirmet, vt etiam furum & latronum loco habeat, quòd non per ostium, sed aliunde ingrediantur. Si nõ postulant, profectò Christi institutioni, exemplis Apostolorum, venerandæ antiquitati se egregios esse aduersarios produnt.

Quare

QVARE causa cadant oportet, quicunq; se in Germania verbi Ministros profitentur. Quærimus ex ipsis; Quis eis sacra munia in Ecclesia obeundi fecerit potestatem? Magistratum Ecclesiasticum non adducunt, quia eius se hostes profitentur. Si Ciuili se tueantur, dicimus facultatem eiusmodi facere non posse, propterea quòd dare potestatem non possit, quam non habet. At habet, inquiunt. A quo verò? A Deo respõdent; sed proferant huius diploma aliquod. Neq; enim melior est ipsorũ conditio in hoc negotio, quàm nostra; vt sibi credi velint, si diuinã authoritatem allegant; nobis autem omnem fidem obrogẽt, si eadem diuina authoritate nos defendamus. Habebunt igitur à se. Sed hæc nulla est quod qui non videt, in luce profectò meridiana cæcutit. 351

ET quamuis hoc Aduersarios omnes, qui modò parum sapiunt, animaduertere non dubitemus; non omnes tamen volunt fateri. Vnus Caluinus repertus est, qui, quod sentiret, confiteri non erubuit, & assertioni nostræ egregium testimonium attulit; quando paulò ante mortem (anno 1561) Lugdunensi Cantori se verè Laicum esse confessus est. Atq; hactenus de Vocatione. 352 *Staplet. l. 5. c. 15*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Docetur ex officio prædicandi Euangelium, non esse penes Laicos, sed penes sacros homines Ecclesiasticam Potestatem.

LONGIVS prosecuti sumus negotium Vocationis Ministrorum Ecclesiæ; & hoc idirco, quòd reliquorum capitum solutio hinc dependeat: Sed tamen pro rei dignitate satis dictum non est. Sequitur nunc alterum membrum, quo ex Iure prædicandi Euangelium, demonstratur Ecclesiasticã Potestatem penes Populum Populiue Principes non residere. 353

354 CATHOLIcorum hic sententia est, præcipuum Episcoporum hoc officium esse, vt qui in Apostolorum locum intrârunt:&c, inter cætera munia, quibus Ecclesiæ Christi vel commodû vel detrimentum adferri potest, hoc nô postremum locum habere: quocirca nimis diligentes esse non posse, quibus aliorum commissa est salus, ne in hac parte ipsorum opera desideretur.

355 *Sess. 5. c. 4.* HINC est, quòd Concilium Tridentinum iustissimis de causis decreuerit; vt Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & omnes alij Ecclesiarum Prælati, nisi legitimè impediti fuerint, per se Euangelio prædicando vacent: si verò id fieri nequeat, idoneos assumant, quibus suas partes credant.

356 *Sess. 24. c. 4.* NEC minus prudenter idem Concilium Regulares, cuiuscunque Ordinis sint, reijcit; nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, ac probati fuerint; atque insuper post licentiam à superioribus obtentam, ab Episcopo, cui etiam de licentia constare debet, benedictionem obtinuerint. Verum quoniam hæc ad institutum non ita faciunt, quæ nostra sunt, prosequamur; atq; sitne penes Laicos, & non tantum Ecclesiasticos viros ius prædicandi Euangelij, inquiramus.

357 CERTVM autem hic est, etiam Aduersarijs consentientibus, non decere, vt quicunq; pro sua libidine cathedram conscendant, Euangeliûq; de pulpito proclament. Non in Protestantium Conuentibus hactenus tale quid obseruatum est. Ecclesia est quædam castrorum acies ordinata; exprimit corpus humanum, in quo non omnia membra omnes habent functiones, honestè oportet omnia in ipsa fiant & ordine.

358 CERTVM quoque est neque omnes, etiamsi Potestatem iusq; haberent, posse huic operi vacare; quoniã, & vsus linguæ, quo quidam destituti sunt, requiritur; & necessaria est cognitio non parua, si non altisimarum rerum, quæ fortè in scholis tractantur, certè præcipuorum Christianæ legis mysteriorum:

riorum:in quibus cum etiam ſapientes ingenij ſui tenuitatem agnoſcant, malintque eſſe diſcipuli potius, quàm Doctores; non poſſunt non cum maximo animorum periculo hallucinari, in diuinis litteris (quorum ingens numerus eſt) parum verſati.

QVOD verò communis omnium ſenſus docet, non conuenire; & quod neceſsitas atque periculum probat fieri non poſſe, id ſola Chriſti lege permittitur? Nequaquam. Aliud profectò ipſe, aliud eius diſcipuli, aliud exempla Maiorum aliud ratio grauiſsimis argumentis demonſtrant. Omnia hæc munus prædicandi Populo Laicisque hominibus adimunt: omnia ad Eccleſiaſticos, & quidem illos, quorum præcipua autoritas in Eccleſia eſt, transferunt. 359

IN prædicando Euangelio Chriſtus operã deſiderari paſſus non eſt: quod olim prædixerant Prophetæ futurum ſuper ipſũ Spiritũ Domini mittendũ, vt Euangelizet; reipſa & quidẽ cum magno multorũ fructu perfecit. Idem Apoſtolis eandem fecit facultatem. Vtrobique autem contra Laicos Eccleſiaſtici præſcribere videntur, & ad ſe ius Prædicandi Euangelij deriuare. 360 *Iſaia.61.*

CERTÈ primum illud non ſine poteſtate ſibi facta executum eſſe Chriſtum ex ipſis Prophetæ verbis facile deprehenditur, quando in hunc finem miſſum, vt Euangelium prædicet, docet: vt ſcil. intelligeretur, qui Chriſti exẽplo ſe tueri volunt, Miſsionis quoq; ſuæ Poteſtatiſq; factæ, teſtimoniũ proferre debere. Quod cũ Laici nõ poſsint; poſsint autẽ, qui ad Eccleſiaſtici Regiminis gubernacula ſedent; quis nõ videt æquiſſimam eſſe horum, illorum iniquiſsimam cauſam, ſi in prædicandi Euangelij munere deprehendantur. 361

QVANDO verò Apoſtolos in mundum, vt Euangelium prædicent, mittit, non omnibus mortalibus hanc in Apoſtolis Poteſtatem fecit. Apoſtolorum ea conditio erat, vt qui actam ipſis Poteſtatem exercere legitimè vellent, Apoſtolis 362

363 quoque multis nominibus prius debuerit; respondere.

HOS de mundo vocauerat; hos præ cæteris elegerat, hos in operarios vineæ suæ iam dudum aptauerat; hos Spiritu Sancto, & virtute miraculorum instruxerat: Tum deinde cum Potestate mittit, primùm quidem, antequam crudelem pro hominum salute mortem subiret; deinde postquam à mortuis propria vi triumphator resurrexit: deditque facultatem omnibus omnino gentibus per totum orbem dispersis Euangelium prædicandi. An fortè Laicis hæc conueniunt omnia?

364 QVOSDAM Dominus vult verbum Dei audire, eosque
Lucæ. 7. fore beatos prædicat, si prædicatione acceptum verbum
Rom. 10. custodiant: Quosdam quoque vult annunciare. Neque enim
Matt. 13. audient sine annunciante. Qui vero sunt, qui audient; si non il-
Lucæ. 10. li, quibus in parabolis loquendum iudicabat? Quos verò iu-
stius audient, quàm quibus dictum, Qui vos audit, me audit?

365 HINC benè D. Paulus. Ipse dedit quosdam quidem Apo-
Eph. 4. stolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem seculi. Et Pastoribus secundum Augustinum subiungit Doctores, vt Pastorum sciamus esse docere, & Euangelium populo annunci-
1. Cor. 12. are. Idem Apostolus in eandem sententiam alibi; Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?

QVEMADMODVM, inquit Gregorius Nazianzenus, in corpore aliud membrum principatum tenet, ac veluti præsidet; aliud subest ac sequitur: ad eundem quoque
366 modum Deus vel æquabilitatis lege, quæ meritum cuiusque
In Apocur perpendit; vel etiam prouidentiæ, qua vniuersam rerum mo-
iu Pon. fugerit lem velut quibusdam vinculis adstrinxit, hoc in Ecclesijs constituit, vt alij pascantur, imperiumque accipiant (quibus id vtilius est) ac tum sermone, tum opere ad officium dirigantur; alij contra ad concinnitatem, perfectionemque Ecclesiæ Pastorum Magistrorumque munere fungantur; nimirum qui virtute necessitudineque ad Deum & familiaritate vultus antecellunt; rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam sustinentes.

Atq;

ATQVE ex his quæ Christi sit institutio, manifestum est, 367
Apostolorum quoque historia egregiè contra Laicos pro Clericis atque Ecclesiasticis personis militat. Qui quæso in prima illa & vernante Ecclesia, præter Apostolos & Apostolorum successores, Euangelij Præcones produci possunt? Nec tamen illa ætate deerant, qui insigni doctrina essent conspicui, & Spiritus Sancti donis egregiè illustrati.

CVM de Potestate sibi data loquuntur Apostoli, vel hac 368
vna Euangelij prædicandi functione se à cætera turba *Rom.1.*
distare, & principem locum tenere, non obscurè indicant. Hu- *1.Cor.1.*
ius vel solus Paulus sufficientissimus testis est. Apud Roma- *Gal.4.*
nos docet, se segregatum in Euangelium Dei: Apud Corin- *1.Thes.2.*
thios, ad prædicandum à Deo missum: Apud Galatas, vt Ange- *Tit.1.*
lum Dei ob prædicatum Euangelium exceptum: Apud Tessalonicenses, potuisse esse oneri, cum Christi in verbo Apostolum ageret: Apud Titum, sibi creditum prædicatum Euangelij secundum præceptum Saluatoris.

DVM prophanæ multitudini idem Apostolus scribit, 369
hortatur Præpositis obediant, charitatem fraternitatis *Rom.12.*
diligant, honore inuicem præueniãt, sint sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, in Domino gaudentes &c. At cum Timotheo Episcopo, docet, qua ratione tractãdum Euangelium, si modò bonus Christi miles esse velit; si seipsum, & eos, qui sibi commissi sunt, saluare; hoc ipso significans populi partes esse audire; Episcoporum, Dei verbum annunciare. *2.Tim.2.*

QVID quòd perpetuum quibusdam silentium indicit, 370
quibus tamen & ius & natura rerum politicarum ad- *1.Cor.14.*
ministrationem permittit? Mulieres, inquit, in Ecclesia taceant: Nõ .n. permittitur ijs loqui. A quo quæso? An à Paulo? At quia prohibitum est, ideo vult taceant; non ipse primum huius legis author est. ~~Si vero loqui non possunt, prædicare Euangelium possunt?~~

NON vult idem Apostolus quenquam prædicare, nisi 371
mittatur (Quomodo, inquit, prædicabũt, nisi mittãtur) *Rom.10.*
Quare cũ Laici testimoniũ Missionis proferre nullũ possint,

nom

non debemus ex sententia Pauli ratum habere, quod Euangelium prædicandi ius officiumq; sibi vsurpent.

372 *Act. 1.* DEFECERAT ab Apostolis Iudas proditor; factus erat dux illorum, qui comprehenderunt Iesum, & obtenta mercede iniquitatis crepuerat medius. Quid inde? Huius in locũ ita postulãte Scriptura substituẽdus fuit Apostolus. Quid factum? Causam exponit Apostolorum Coryphæus; ex duobus à reliqua multitudine designatis, cupit ostendi à Deo alterum qui Iudæ sufficiendus, & qui in prædicando Euangelio communem cum ipsis laborem partiri debeat. At non opus fuerat ~~hæc cura Petro, si omnibus fuit ius prædicandi Euangelium~~, Poterat quicunq; designatus id præstare.

373 SI verò meliorem Reipub. formam fingere non possumus quàm in Ecclesiam inuexit Dominus; quàm Apostoli studiosissimè conseruârunt; quomodo Maioribus nostris, quos ob sanctitatem veneramur, ob prudentiam suspicimus; in mẽtem venisse dicemus, vt neglecta institutione Christi Laicis ius prædicandi Euangeliũ committendum censuerint? Quicunq; nobis ab hoc officio commendantur, sacris initiati perhibentur omnes.

374 *In vita Aug.* ADDO, quòd præter Episcopos ante Augustini tempora in Africanis Ecclesijs nulli ius fuerit pro authoritate Populo Euangelium prædicandi; huncq; primum fuisse, quem Possidonio teste, propter insignem eruditionem, morum grauitatem, vitæ integritatem dignum iudicarit Hipponensis Episcopus Valerius, qui Sacerdotio initiaretur; atq; Sacerdos, nondum Episcopus, ipsi in prædicando Euangelio operam suam locaret.

375 TANTVM abest, vt quibusuis sine discrimine licuerit Euangelium Populo annunciare, vt & Hæreseos damnati sint in Constantiensi Concilio, quicunq; Euangelij prædicationem dicerent ab authoritate vel summi Pontificis, vel Episcoporum non pendere. *Sess. c. 18.*

376 SI quibusuis integrum esse ius in hoc negotio censuissent Maiores; debuissent eorum præ cæteris studium probare qui

qui ſpretis ſecularibus negotijs Monaſticam vitam elegiſſent, quiq; præ reliquis Dei gloriã prædicando Euangelio promoue re potuiſſent. At nec his licuiſſe ſubiecto Alex. II. Decreto docemus: Iuxta Chalcedoneñ tenorẽ optimi Cõcilij, inquit, Monachis quamuis Religioſis ad normam S. Benedicti intra clauſtrũ morari præcipimus, vicos, caſtella, ciuitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omnino ceſſare cenſuimus, niſi fortè quis de ſuæ animæ ſalute ſollicitus vt eorum habitũ aſſumat, eos intra clauſtrum conſulere voluerit. *16. q. 1. c. iuxta*

PORRO multis grauibusq; de cauſis conueniebat, ius hoc apud Eccleſiaſticos viros eſſe. Primum omnium inter omnia, quæ Chriſtus præſidia comparandæ ſalutis reliquit hoc ſi non præcipuum, profecto non poſtremum eſt. Conueniebat igitur, ijs commiſſum eſſet, quorum vel præcipuæ vel non poſtremæ partes in Eccleſia Catholica eſſent. 377

INDIGNVM eſt, vt, cùm tractet fabrilia fabri, nauita de ventis, de bobus narret arator, enumeret miles vulnera, paſtor oues; ſolũ Chriſti Euangeliũ ſit, q̃d promiſcuè om̃es tractare, omnes pro concione cum authoritate proclamare poſſint; Hoc garrula anus, hoc delirus ſenex, hoc ſophiſta verboſus hoc vniuerſi doceant, antequam diſcant. 378

SED & neceſſe eſt egregia ſint inſtructi ſcientia atq; doctrina; Chriſtianæ Religionis myſteria probè norint, fidei rationem petentibus dare, proteruis ſilentium imponere; qui huic muneri cum fructu vacare volunt. At quid hîc faciet Populus, cuius ferè ſola de focis cogitatio eſt? 379

NECESSE eſt Doctorem quoq; & Inſtitutorem habeant Si enim, vt de Grammaticis, Rhetoribus, Philoſophis, Geometris, Aſtrologis, Medicis taceam: (verba ſunt Hieronymi) & ad minores artes veniam, quæ non tam lingua, quàm manu adminiſtrantur, Agricolæ, Cæmentarij, Fabri metallorum, lignorumq; Cæſores, Lanarij quoq; & Fullones & cæteri qui variam ſuppellectilem, & vilia opuſcula fabricãtur, abſq; Doctore eſſe nõ poſſunt, q̃d cupiunt: docere populũ poſſunt, 380 *in prolog.*

quis

de vtilit.cred. cap.17. qui quod doceant, prius non didicerunt? Temerariam superbiam docet esse B. Augustinus diuinorum Sacramentorum libros sine interpretibus velle cognoscere. Non se Doctiorem Eunucho censet Hieronymus.

381 ACCEDIT quòd alias atq; alias rationes scire debeant, quibus hominum, ingenia tractanda sunt. Non enim omnium vna est conditio. quibusdam solido cibo opus est, quibusdam lacte. Sunt quidam difficiliores; quidam ad humanitatem magis formati: alij ducuntur virtutis amore, alij vix Gehennæ terrentur timore. Quanta verò hic opus est maturitate? quanta prudentia? Et poterit hîc quilibet phrophanus esse sufficiens?

382 PROMOVET etiam prædicati Euangelij fructum, si, qui populo verbi Dei prædicatione præ sunt; vita præstent, & egregio præluceāt exemplo. Nec immerito; quia quod verbis construunt, possunt destruere rebus ac operibus. At laicorum vita communis est; Ecclesiasticorum communis esse non debet.

383 QVAM breui miserè deformatam Christi Remp. videremus, si quibusuis verbū Dei prędicandi ius esset. Voluerunt quidam id omnibus esse commune. Sed quid? Pudet dicere, quod æquitas causæ cogit dicere. Prodijt (1530) aliquando in publicum verba in frequentissima concione facturus *Suri. in com.* Iacobus Andreæ Simdelini cum sago aulico, parum infra genua, manica altera plcturata circa sinistrum humerum, exsertis vtrinq; brachijs, accinctus cultro venatorio. nunquid melius Thrasonem, quàm Euangelij repræsentauit Præconem? Fuit alius Præfectus Xenodochij Argentorati Iohannes Stoltz nomine, sed ita probè suo munere functus; vt loco mercedis vtraque auricula orbaretur, gratiamq; referret ob datam vitā. Quid ageret homo apud suos infamis? vertit solum, & qui verbi Dei Præconem agat (infamiam coma pileoloq; tegens) dignus inuentus est. Vidit & nostra ætas, qui Sabbato tonsoris, Dominico Die ante prandium Euangelici Præconis, ac pomeridianis horis tibennis officiū sustineret, miseris ouiculis ad sui pa-

Nas. cen. 2. 80 veritate;

Ibidem

stores

pastores fistulam saltantibus. Infinita huiusmodi exempla reperiuntur apud eos, qui à Maiorum consuetudine deflexerũt, & sibi prædicandi Euangelij munus vsurparunt.

A talibus verò deformiter informibus Mag'stris quid boni expectari potest? quid non tragicum & seditiosum? 384
Cum .n. tacere in Cathedra honestum non sit; Biblia autẽ illi à limine ne salularint quidem; Patrum volumina non habeant; cura rei domesticæ, & vxoreæ parum temporis libris euoluendis relinquat; non est, quod quisquã miretur, si in Magistratu Ecclesiastico carpendo, in Monasteriorum institutis traducendis, in summo Pontifice pro Antichristo asserendo illorum omnis cogitatio, oratio atque sensus occupetur.

HAC re tanquam certissima nota Hæreticos à Catholicis distinguit Tertullianus; quod illis omnibus sit facultas 385
docendi, his non item. Verba ipsius sunt: Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces; quæ audeant docere, contendere, exorcis- *in præscrip.*
mos facere, curationes repromittere, forsitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: Nunc Neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebelliũ, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus; nã & Laicis Sacerdotalia munera iniungunt.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Quod Laici quicunque non possint pro sua authoritate doctrinam Fidei tradere, aut de dogmate controuerso iudicare & definire: & propterea apud eosdem esse nequeat Potestas Ecclesiastica,

386 TERTIVM munus, ex quo, penes quos Ecclesiastica Potestas sit, colligitur, est doctrina Fidei, atque de controuersis dogmatibus iudicium. Oportet enim qui hanc in Ecclesia Potestatem habent, doctrinam Fidei tradant, & de dubijs pronuncient. Ex hoc ergo nunc æquitas Causæ nostræ demonstretur.

387 HIC primùm inter nos atque Aduersarios conuenit, esse in Ecclesia Potestatem, à qua, quid credendum sit, & in ambiguis rebus sentiendum, fideles petere debeant. Non enim inferior hac in re Ecclesiæ conditio est, quàm olim fuerit Synagogæ: & consultum satis fidelibus non esset, grauissimoque in periculo sæpe versarentur, si in Fidei Causis, sine qua salu non contingit, quid sentire debeant, scire non possent.

388 NISI fortè quis rerum prorsus ignarus, ita res Ecclesiæ constitutas esse arbitratur; vt omnibus temporibus quid credendum sit, certum declaratumque putet. Talis piè quidé, sed minus bene sentit de Causa Religionis Christianæ. Nullum fuit tempus, quo Religio stetit, quo non in controuersiam multa phanaticorum hominum ingenia vocarint.

389 CERTVM etiam est, eos, apud quos Potestas hæc Fidei doctrinam tradendi, & controuersa dogmata constituendi sita est; in definiendo errare non posse. Quid enim proderit hanc Ecclesiæ relictam esse Potestatem; si incerta, si inconstans est, & eidem assentiri non possumus?

390 DEINDE, nihil certum, & firmum in Ecclesia statui poterit; si de Potestate hac licet dubitare? Quis enim sciat, vtrum in approbando Euangelio D. Matthæi non errauerit? an rectè senserit, cum diuinitatem Christi contra Arriũ; Spiritus sancti contra Macedonium asseruit? num trãssubstantiationis vocem bene vsurpârit? &c.

391 FALSA esset Christi promissio, qua Spiritum S. perpetuo in Ecclesia mansurum pollicitus est: Falsa, q̃d docturus õem veritatem. B. quoque Paulus errasset; quòd Ecclesiam columnam dixerit atque fundamentum veritatis.

Ioan.14.
Ioan.16
1.Tim. 3.

Si

SI labante corpore neceſſe eſt labatur & caput; nunquid nō ſi Eccleſia, quæ Chriſti corp⁹ eſt, errat; errat caput Chriſtus? ſi lapſus pedis regētib. oculis tribuitur; ſi nauis error oſcitanti gubernatori aſſcribitur; nonne fateri cogemur errare Sanctum Spiritum, ſi in ijs, ſquæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt, errat Eccleſia? 392

HIS addimus tertium; hanc non apud quemcunque priuatum eſſe, id eſt, à priuato cuiuſque Spiritu de ambiguis iudicium non eſſe petendum: quemadmodum ſunt quidam, qui interno Spiritus teſtimonio ſe doceri autumant. Quo modo quæſo ſciunt homines cerebro malè ſani bonus ſit an malus, verus an fucatus, albus an ater Spiritus, quem dictantem audiunt? 393

VIDIT ætas noſtra non paucos, qui ſe Spiritum S. habere gloriati ſunt, & eodem docente (vt miſeri arbitrabantur) hominibus perſuaſerunt; vt relicta domeſtica cura, atque agricultura geniales agerent dies, & præſens extremum iudicium expectarent. Eodem dictante ſubditos à Superiorum obedientia ſubtraxerunt, alij, et in eos quorum authoritatem reuereri debuerant, armauerunt: Eodem etiam in ſuos inter ipſas epulas crudeles & ſanguinarij quidam fuerunt. Eodem dictante ſe vel Ioannem, vel iuſtum Ionam, vel Spiritum Sanctum vel Meſsiam aſſeruerunt. 394

NON eſt cuilibet ſpiritui credendum, vt Apoſtolus monet; probandus eſt, vtrum ex Deo ſit. Væ Prophetis, inquit Ezechiel, qui ſequuntur Spiritum ſuum. Docet B. Chryſoſtomus eſſe multos, qui Spiritum S. iactāt; ſed quia porpterea loquuntur, Spir. S. nō habent. B. Auguſt. nō ad parteculare Spiritum; ſed ad Eccleſiam docet recurrēdum. Ego, inquit, Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas. 395 *1. Ioan. 4.* *13. cap.* *Hom. de S. & ador. Spi.* *Contra. ep. fun. c. 4.*

CHRISTVS non ſolùm propter teſtimonium, quod Spiritus S. ſuggeret, vult ſibi fidem accommodemus; Apoſtolorum etiam adiungit: Ille, inquit, teſtimoniū perhibebit de 396 *Ioan. 15.*

O 2 me

Act.15. me & vos testimonium perhibebitis. Non sufficiebat Aposto-
397 lis dixisse; visum est Spiritui Sancto: adiungunt, Et NOBIS.

ADDIMVS quartum, Sacram Scripturam hanc Potestatem non habere, vt ab ipsa, si quando controuersum dogma occurrit, definitionem & sententiam petamus. Non fuit semper in Ecclesia Catholica Scriptura; & tamen fuit semper, de Fidei controuersijs quid sentiendum sit, facultas statuendi. Deinde, quid si de ipsa Scriptura controuersia oriatur, quemadmodum prioribus tẽporibus nunc de Scriptura tota, nunc de partibus eius graues & multæ quæstiones fuerunt? An fortè ipsa sibi Scriptura testimonium præbebit?

398 CERTANT pro suis erroribus inter se Aduersarij, tanquam pro aris & focis; vtrique Scripturis noui veterisque Testamenti prodeunt armati: Veruntamen controuersiarum finem non inueniunt; sed pluribus se difficultatibus inuoluunt. Quid ita? Quia suo silentio Scriptura se non Iudicem,
399 sed ex se iudiciũ petendum clamat. Non iudicat lex, sed ex lege sumitur iustum iudicium.

IN forẽsibus Causis quamdiu Legibus certatur, sunt perpetuæ lites; quia Legibus Leges opponuntur; & quia loqui non possunt, omnibus vt cæreus nasus seruiunt. Necessarius ergo viuus Iudex, qui interposita sua authoritate ex legislatoris sententia, & æquitate iusti & boni ius dicat.

SI quando difficile & ambiguum quid erat in Iudæorum populo inter causam & causam, lepram & lepram, varia-
400 rentque inter se Iudicum, qui præessent, sententiæ; non Scri-
Deut. 17. pturas consulendas Dominus iubebat; sed eos, qui vtriusq; partis causas possent audire, causarum æquitatem expendere, & tandem sententiam proferre.

PARTES profectò non in Scripturis totum robur Causarum Ecclesiasticarum posuerunt. B. Dionysius sic habet,
401 Sunt in Scripturis multa, quæ trahi possunt ad sensum; quem
lib.1. verog. sibi quisq; præsumit: & ideo, inquit, oportet intelligentiam Scrip-

Scripturarum ab eo discere, qui eam à Maioribus sibi traditam seruat. In eandem sententiam loquitur Tertullianus antiquissimus scriptor: Non, inquit, ad Scripturas prouocandum est; nec in ijs aduersus Hęreticos constituendum certamen, in quibus aut incerta, aut parum certa victoria est. *de praes. haeret.*

QVODSI igitur in Ecclesia hoc iudicium est; & si non apud quemcunq; priuatum hominem est; nec penes ipsam Scripturam; vbi ergo consistit? Hoc præcipuum est disputationis caput. Et licet ex huius definitione causam nostram maximè probare possemus; tamen (quod præsens disputatio tantùm postulat) sufficerit nobis demonstrare; neq; apud Populum, neq; apud Populi Principes, vt volunt Musculùs & Melanthon, Potestatem hanc esse. 402

PRINCIPIO vetus Lex, cuius author Deus est, multis & non leuibus argumentis commonstrat, doctrinæ de Religione Causam ad Sacerdotes pertinere. In Leuitico scribit Moyses: Præceptum sempiternum est in generationes vestras, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanū pollutum & mundum; doceatisq; filios Israël. Rursus in Deuteronomio: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinē & sanguinem, Causam & Causam, lepram & non lepram: & Iudicum inter portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensq; ad Sacerdotes Leuitici generis & ad Iudicem; qui fuerit illo tempore, quæresq; ab eis; qui iudicabūt tibi Iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui prę sunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legē eius, sequerisque sententiam eorum. Et rursus: Accedent, inquit Moyses, filij Leui; quos elegerit Dominus Deus tuus vt ministrent ei, & benedicent in nomine eius; & ad verbum eorum omne Iudicium pendet; &, quicquid mundum vel immūdum est, iudicetur. 403 *cap.10.* *cap.17.* *ibid.21.*

MANDAT idem Moyses constituendo futuris temporibus Regi; vt cū sederit in solio Regni sui, describat Deu- 404

Deut.17 teronomium Legis in volumine, accipiens exemplar à Sacer-
dotibus Leuiticæ tribus; subindicans in Leuitico Ordine &
Iudcium veritatem, & emendationem conseruari, & ab eo in-
telligentiam esse petendam.

405 HANC Moyses doctrinam rectè intelligens, & studiosè
2.par.17. 19. obseruaus religiosus ille Rex Iosaphat, dum à cultu ido-
lorum reuocaret filios tribus Iudæ ad veram veri Dei Religi-
onem; constituit quidem in singulis ciuitatibus Iudices terræ;
At in Ierusalem Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarũ
ex Israël: præcipiens vt vbicunq; quæstio esset de Lege, de mã-
dato, de cęremonijs, de iustificationibus, ostẽderent filijs Israël.
Additur ibidem: Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester
in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit; Porrò Sabadias fili-
us Ismaël, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera, quæ ad
Regis officium pertinent.

406 CONSENTIT cum his Ezechiel. Sacerdotes, inquit, po-
cap.24. pulum meum docebunt; quid sit inter sanctum & pol-
cap.2. lutum, & inter mundum & immundum, ostendẽt eis: & cùm
cap.2. fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt le-
ges meas. Cõsentit Aggæus, cuius hæc oratio est; Interroga Sa-
Vide Stapl.ib. cerdotes legẽ. Cõsentit Malachias, qui labia Sacerdotis custo-
c.23. &c. dire scientiam; & legem ex eius ore requirendam docet, quòd
angelus Domini exercituum sit.

407 AN fortè ab his Moysis præceptis, Prophetarum oracu-
lis, & sanctissimi Regis exẽplis noua Lex discedit, plus
quę Christiano Populo, plus Christianis Principibus permittit?
Certè non hoc Christi exemplo discimus. De futura resurre-
Matt.24. ctione, de futuro iudicio, & ante iudicium futuris Hæreticis,
Ioan.15 &c. de mittendo Paracleto seorsim à turbis Apostolos docet. Admi-
Matt.17. rabilem quoq; transfigurationem, qua Deum se esse manifesta-
uit, cum solis futuris Ecclesiæ Principibus communicauit; &
actu.10 cùm à mortuis resurrexisset, manifestum se fecit non omni po-
pulo, sed testibus præordinatis à Deo. Quid ita? quia scilicet ab
his, quid credendum sit, discere oportebat?

Iam

IAM ſuperius docuimus, Apoſt. dictum eſſe, Veſtrũ eſt noſſe 408
myſteria regni. Maioribus natu Eccleſiæ Epheſinæ præcepit
Apoſtolus, ipſi attendant gregi, in quo Spiritus Sanctus eos po *Matt.13.*
ſuit. Et ex ſententia D. Auguſtini S. Paulus Paſtoribus ſubiun- *Acto.20.*
git Doctores, vt intelligamus ab ipſis, qui Paſtores ſunt, quid *4. Epheſ.*
in negotio Religionis ſentiendum ſit, diſcendum eſſe.

ANTEQVAM in vniuerſum orbem Chriſti Euangeliũ 409
prædicaturi ſe Apoſtoli effunderẽt, formam Fidei (Symbolum Apoſtolorum dicimus) communi ſententia deſcripſerunt, eamq; vniuerſo Chriſtiano populo communem eſſe voluerunt. Atq; in hac Cauſa cùm plebem non adhibuerint, ſuiſque tantùm ſuffragijs contenti fuerint, quis dubitat, quin ſuarum tantum partium, non verò Populi, cenſuerint eſſe de Fidei doctrina definire?

PRIMA Synodus, quæ Apoſtolorum tempore Hieroſoly- 410
mis habita eſt, quod dicimus, probat egregiè. Facta, in- *Actu.15.*
quit, Lucas, ſeditione non minima Paulo & Barnabæ aduerſus quoſdam Iudæos docentes, quòd, niſi circumciderentur Gentes, ſecundũ legem Moyſi, non poſſent ſaluari: ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione. Et audita ſententia Petri & Iacobi placuit Apoſtolis & ſenioribus fratribus, vt definita ſententia ſuper propoſita hac quæſtione transſcriberetur fratribus, qui erant Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ ex Gentibus. Qui hic Hieroſolymã aſcenderunt? ad quid aſcenderunt? qui locuti ſunt? qui ſententiam dixerunt? nunquid Plebs aut Principes? an non Apoſtoli? Quid? Reliquĩ Chriſtiani, qui in alijs nationibus degebant, ne vocati quidem ad hanc Synodum. Quid ita? quia neceſſe non erat. At ſi omnium erat neceſſaria cognitio, ſaltẽ in eo illata fuiſſet illis iniuria, quòd nec quidem denunciatum eſſet, vt adeſſe potuerint.

GENTIVM ille Doctor Paulus, quibus cum Euangelium 411
ſuum contulit, ne aut in vanum curreret aut cucurriſſet? *Gal.2.*
an cum promiſcua Plebe? Aſcendi, inquit, Hieroſolymam cum
Barnaba

Barnaba, assumpto & Tito, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus; seorsim autem eis, qui videbantur aliquid esse, id est, vt scholia Græca habent, qui erāt Coriphæi.

412 QVÆCVNQVE in rebus fidei controuersia orta est, eam non Populi aut Politici Magistratus suffragijs; sed ex Episcoporum atq; Ecclesiasticorum hominum sententia definitam legimus. Pro diuinitate Christi, contra Arrium pugnarunt 318 Episcopi in Concilio Niceno primo. Pro diuinitate Spiritus, contra Macedonium 150 Episcopi in Constantinopolitano primo. Pro vna Christi persona contra Nestoriam vocem θεοτόκου auersantem 200 Episcopi in Ephesino. Pro duabus Christi naturis, contra Eutychen & Dioscorum Episcopi 630 in Chalcedonensi. Pro Christi Matre, contra Anthemium negantem ipsam esse deiparam 165 Episcopi in Constantinopolitano II. Pro duabus Christi voluntatibus contra Monothelitas 361 Episcopi in III Constantinopolitano. Pro imaginibus, contra Iconomachos Episcopi 325 in Niceno II.

413 HÆC exempla vel solus Oriens in generalibus Concilijs, quæ totius Ecclesiæ vox sunt, eo tempore, quo Christiana Religio maximè floruit, præbet. Non pauciora exhibere potest Occidentalis Ecclesia in similibus Concilijs: quæ, quia omnibus nota sunt, omittimus libenter.

414 QVOT pro Fidei negotijs, & definiēdis dogmatibus habita sunt Concilia Prouicialia, in Hispania, Italia, Gallia, Africa, Germania & c. atq; hæc non à Populo, secularibusq; Principibus; sed ab Episcopis, & viris Ecclesiasticis celebrata fuerunt; in ijs præter eos, qui diuinis officijs deputati fuerunt, nulli, qui vocem iusq; definiendi habuissent, inuenti sunt.

415 FORTE suo iure cessit tum Populus aut Magistratus secularis? Posset id de aliquibus concedi: vt omnes vbique locorum cedere voluerint, quis credet? An tanta ipsorum imperitia, & ignorantia fuit; vt non debuerint in doctrina Fidei adhiberi? Sed hoc quis sibi persuadebit; præsertim tot seculis? An impositum est ipsis ab Ecclesiasticis viris; & dolo malo aliorum

liorum ſibi partes hi aſſumpſerunt; aut certè aliorum vota, quæ debuerunt, audire noluerunt? Verum de hac iniuria ſibi facta nullus vnquam conqueſtus eſt.

FORSITAN non ſuo, ſed Populi & Ciuilis Magiſtratus nomine Eccleſiaſticis Comitiis interfuerũt; de dogmatibus fidei cognouerunt & definiuerunt. Pulchrè, vt apparet. 416
Verum id probandum eſſet. Si Populi & Senatus ſecularis nomine venerunt; cur ipſorum nomine ſe miſſos eſſe nõ ſunt teſtati? Cur ad ipſos, non verò ad Populum aut Ciuilem Magiſtratum litteræ datæ ab ijs, qui ius habuerunt conuocandi? Denique cur ſuo, non Populi nomine ijs, quæ determinata ſunt, ſubſcripſerunt?

CVR igitur neque Populus neque Ciuilis Magiſtratus adhibiti fuerunt? Reſpondeo, quod res eſt; quia adhiberi nec debuerunt, nec potuerunt, nec voluerunt. Putauerunt ſuas partes eſſe audire; non loqui: diſcere; non docere: pacem & tranquillitatem procurare ac tueri: cognitionem verò atque iudicium de Cauſis Religionis aliorum munus officiumque cenſuerunt. 417

QVAPROPTER pulchrè B. Ambroſius, Si conferendum eſt, inquit, de Fide, Sacerdotum debet iſta eſſe collatio: 418
ſicut factum eſt (ſubiungit) ſub Conſtantino Auguſtæ memoriæ Principe; qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. In eandem ſententiam loquitur Pontifex: Si, inquit, Imperator Catholicus eſt, filius eſt, non Præſul Eccleſiæ. Quod ad Religionem competit, diſcere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia ſuæ Poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus conſecutus eſt: & eius beneficijs non ingratus, contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet. Ad Sacerdotes enim Deus voluit, quę Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi Poteſtates: quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vendicet alienum ius, & miniſterium, quod alteri deputatum eſt: ne contra eum cõtendat abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt, & contra illius benificia pugnare videatur, à quo propriá conſecu-

lib. ep. 32.

diſt. 96. c. Si. Imperator.

P

secutus est Potestatem, Non à legibus publicis, non à Potestatibus seculi, sed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari & discuti, & recipi de errore remeantes.

419 VALENS Constátij tam in Imperio, quàm in Hæresi successor B. Barsę Edessæ Episcopo in exilium pulso; & Lupo Arriano in eius locum suffecto, Presbyteros atque Diaconos vi ac minis, vt hæresi Arrianæ fauerent, cogere cœpit. *Theod. l. 4. c. 15. & 16.* Cumq; ad Eulogium Præfectus dixisset, communica cum Imperatore, respondit facetè Eulogius, Numquid cum Imperio es Sacerdotij dignitatem consecutus? Rursus cum Præfectus. Non istud dixi ô stupide; sed vos hortatus sum, vt communicetis cum iisdem, quibus cum Imperator communicat. Subiungit Eulogius, se habere Pastorem, cuius nutum sequeretur: significans fidem non ab Imperatoribus; sed ijs, qui Christi mysteria dispensant, petendum esse.

420 *Sozom. l. 6. c. 7.* HINC egregiam, & se dignam sententiam protulit Valentinianus Senior, quando Episcopis petentibus vt sibi de doctrina fidei rectè constituenda, in vnum conuenire permitteretur; respondit; sibi, qui vnus è numero Laicorum esset, nõ licere eiusmodi negotijs se interponere: Et ideo, inquit, Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, pro se vbicunq; ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant.

421 *Ep. 4. ad Cyri. Alex. in tom. 4. op. Cyril.* ET Theodosius Iunior quæ tum suarum, tum Ecclesiasticorum partium sint decernens; sibi quidem sumit, vt pacem Ecclesiæ tueatur, Episcopis autem rerum Ecclesiasticarum disceptationem & iudicium relinquit. Eius verba hæc sunt; Volumus illam (pietatis doctrinam) coacta sacra Synodo ventilari, & hactenus prævalere, quatenus decere videbitur. Siue auté veniæ participes futuri sint, siue non sint, qui à Patrib. victi fuerint; nos sanè non patiemur, vt simul & vrbes & Ecclesiæ turbentur; neque vt inexcussa sit nobis ea doctrina, cui diiudicandæ præfici oportet eos, qui circumquaque Sacerdotio præsident, & per quos in sententia veritatis firmiores & sumus & posthac erimus.

Eius-

EIVSdem sententiæ fuit (vt debuit) sanctissima fœmina Pulcheria, quæ cùm sedulo curasset, vt vndiq; multitudo Episcoporum congregaretur, primùm in Nicæa, deinde Chalcedone; scripsit ad Consularem Bithyniæ strategum, vt Monachos atq; Laicos, quos nulla (vt loquitur) ratio ad Concilium vocat, omnimode de ciuitate & ipsis locis expelleret; vt cum omni disciplina, considente Sancta Synodo sine aliqua commotione atque contentione, quæ à Domino Christo reuelata fuerint, communiter ab omnibus confirmentur. 422 *lib. 2. de visib. Monar. c. 3. apud Sand.*

NEC aliud sensit Imp. Martianus in VII. Calcedonensi Synodo; quando quæ fidei erant, iudicauit definienda esse per Patres Synodi, non suis legibus constitui. Idem Imp. se Synodo interfuisse testatus est; non vt potentiam ostenderet, sed vt veritate per Episcopos inuenta, multitudo non vltra prauis doctrinis attracta discordaret. 423 *Act. 6. Syno.*

COGNOVIT idem Imp. Basilius: qui in grauissima illa, quam in VIII. Synodo orationem habuit, sic inquit: Vobis, Laici, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè versamini; nullo modo licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc eadem inuestigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est; qui regiminis officium sortiti; qui sanctificandi, qui soluendi & ligandi Potestatem habent; qui Ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt claues, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, qui á ligamento solui egemus. Quantæcunque.n. religionis & sapientiæ Laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat; ouis vocari nõ desinet. Rursus: Episcopus quantacunq; sit irreuerẽtia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est & veritatis verbum rectè prædicauerit; Pastoris vocationis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est in Ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatẽ discutiendi, & ea, quæ super nos sunt quærendi & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore & fide syncera hos audire, & facies eorum vereri (cùm sint Ministri Domini Omnipotentis & huius formam possideant) & nihil amplius, quàm ea, quæ sunt nostri Ordinis, requirere. 424

425 CVM prædictis consentit Valentinianus, quando eam se Fidem tenere profitetur, quam ab Apostolis & eorum in
De S. Trin. & fide Cath. Christi Ecclesia successoribus se dicit accepisse. Idem Imp. in fidei dogmatibus nunc se Sacerdotes, nunc SS. Patres fatetur se-
In edic. ad Io. II. qui; & horum sententia satis munitum esse aduersus eos, qui diuisionem diuinæ dispensationis impiè faciunt.

426 MARTINVS (verba sunt Sulpitij) vir plane Apostolis conferendus satis superque sufficere dicebat, vt Episco-
l. 2. sa. hist. pali sententia Hæretici Priscillianistæ iudicati Ecclesijs pellerentur: Nouum esse & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ Iudex seculi iudicaret.

LAVDAT hoc nomine Imp. Gratianum in Aquileiensi Concilio D. Ambrosius; quod iniuriam noluerit facere
427 Sacerdotibus, & ipsos interpretes constituerit Episcopos. Cõmendantur quoque Commissarij Imperatoris, quod in Chalcedonensi Concilio petiuerint à Patribus discere, quid in Fidei negotio sentire debeant.

428 FVERVNT quibus propter authoritatem aliquid tribuendũ censuerũt Maiores; vt scilicet inter Episcopos locum haberent; licet cum Episcopis in Fidei causa sententiam non ferrẽt: sed quod sui officij esset, disertis verbis testati sunt.
lib. 1. c. 7. Sic Constantinum Magnum in Nicæna illa 318. Patrum Synodo oblatum honorem recusasse scribit Theodoretus, vltimò ex omnibus ingressum, ab Episcopis postulasse, vt sella parua in medio posita sibi considere permitteretur.

FVERVNT quorum arrogãtia egregiè repressa est, quod
429 in hac causa ius sibi aliquod vsurparent. Demostheni Valentis Hæretici culinæ Præfecto barbarè de rebus Fidei dis-
lib. c. 17. serenti pulchrè Basilius Magnus, teste Theodoreto, Tuum, in-
Suidas in Leontio. quit, est iusculorum curare condimenta: Nam cùm aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta audire non potes. Constantium cum aliquando Leontius Episcopis præsidentem vidisset, & cæteros applaudentes & approbantes, tacuit. Rogatus cur taceret, respondit Constantio: Miror qui fiat, vt, cùm alijs curandis destinaris, alia tractes. Cùm enim rei

rei militari & Ciuilibus negotijs præsis; tamē Episcopis ea præscribis, quæ ad solos pertinent Episcopos. Eundem Imp. quia de Fide cognoscere voluit, Antichristum pronunciat Athanasius. Reprehendit Valentinianum Iuuenem adhuc B. Ambrosius, quòd Iustinæ matris impulsu sibi iudicium de Fide vsurpare contra Patris exemplum conaretur. Pater, inquit, tuus vir maturioris æui dicebat: Non est meum iudicare inter Episcopos. Tua nunc dicit Clementia, Ego debeo iudicare. Et rursus. Noli te grauare, inquit, Imperator, vt putes te in ea, quę diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subiectus. Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est; non sacrorum &c.

In ep. ad sol. vi agent. *Epist. 32.* *in ep. ad ser. 33*

430

ATQVE ex his patet totius orbis consensu Causas Fidei non ad Laicos, sed Ecclesiasticos deferri debere; illorum sententiam audiendam, definitioni standum. Ius hoc ratio quoque æquitasq; confirmat. Constituamus ita esse, vt in Fidei dogmate iudicium sit penes Politicum Magistratum. Quæro iam, qua ratione, si res quædam in disputationem veniat, definiri debeat. Num vnus aliquis Magistratus, qui in vna v. g. Ciuitate aut Prouincia Ius dicit, Causam definiet; an opus est omnium, qui Christi Fidem vbiuis gentium profitentur, consensus accedat? Profectò nullum potest dici. Primò illud hactenus nullus asseruit. Si enim est aliquis talis Magistratus; quis quæso est? vbi gentium sedem habet? quid aliquando in fidei negotio definiuit; quis ab eo dogmate controuersa sententiam petijt? Fidei negotium omnibus commune est, nec aliud potest Italia, aliud Gallia; nec aliud Oriens, aliud Occidens profiteri. Quemadmodum vnum Baptisma, vnus Deus; ita fides vna: Quapropter permitti non debet, vt vnus aliquis Magistratus toti Christiano orbi, quid credendum sit, præscribere possit. 431

QVI verò credat fieri posse; vt si singuli Magistratus suis Prouincijs, Regnis atq; Vrbibus in fidei Causa iudiciū

ferant, omnes omnino cōsentiant, idemq; doceant? Hactenus vbi nouum hoc & prioribus seculis inauditum ius inualuit, tot sententias in negotijs Religionis inuenias, quot propemodum non dico Regna atq; Prouincias, sed ciuitates, atq; vtinā non etiam familias numeraueris.

432 COMMVNI ergo omnium suffragio opus est. Sed hoc ex eorum genere est, quæ omnino fieri nequeunt. Primum enim omnium quis singulos conuocabit? Deinde, vbi conuocati erunt (quomodocunque tandem id fiat, non moror) quis singulis sua loca designabit? quis, vbi sederint, primus sententiam dicet? quis arrogantiori & forsitan verbosiori silentium imperabit? quis vbi diu multumq; disputatum fuerit, iudicium extremum feret? inter authoritate dignitateúe pares quis prior?

433 NON semel habita sunt Comitia ab ijs, qui hoc nouo iure gaudere desiderant, & penes se contra tēporū præteritorum historiam in doctrina fidei iudicium esse volunt. Disputatum est multis sæpe diebus, atque acriter: verùm quod talibus hominibus euenire necessarium est, in vnam aliquam doctrinam conuenire hactenus nequiuerunt.

434 QVID, quod nec sibimet tales consentiant, & nouos sæpe, fœdissimos iuxta atq; crassissimos errores quotidie pariant; fidemq; suam etiam (vt ipsi sibi mutuo obijciunt) in hebdomade septies commutent? vt pulchre dixisse iudicandus sit Illustrissimus Saxoniæ Dux Georgius; nescire hodie Lutheranos, quid sequente die sint credituri: quod cōplures haud obscurè Imperij Ciuitates reipsa memoriæ tradiderunt.

435 VT de rebus fidei iudicetur, diligens Scripturarum collatio fiat, necesse est præsentem industriam, & præterea sensus ad hoc exercitatos requirit. Nam perfectorum, id est, in doctrina fidei peritorum est solidus cibus; eorum, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. At nunquid hoc de Magistratu Ciuili nobis possumus promittere?

Meliores

MELIORES Magistros fidei, aptioresq; in fidei cõtro uersis Iudices Christianus populus habere non potest, 436
quàm quales primis temporibus habuit institutores & fidei apud quascunque gentes propagatores. At in horum numero non fuit promiscuum Vulgus, non Principes, non Magistratus seculares: fuerunt vero Apostoli atque illi, qui in Apostolorũ locum suffecti sunt. Horum igitur iudicio, nisi grauiter hallucinari velimus, omnino standum esse nobis persuadeamus. *Vide Stapl. l.5. cap.20.&c.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Ostenditur propterea apud Laicos esse non posse Potestatem Ecclesiasticam; quod ex priorum temporum historia non penes ipsos, sed Ecclasiasticum Magistratum demonstretur fuisse omne ius, formam Cultus diuini præscribendi.

EX iam dictis colligitur, quid ad aliud caput respondendum sit, quo quæritur, quis formam Inuocationis, & 437
Cultus diuini & Administrandi Sacramenta præscribere debeat. Cùm enim hæc res cum fidei doctrina definitioneq; controuersorum Ecclesiæ dogmatum, adeo coniuncta sit, vt magis esse non posit: profecto conueniens est hanc ijs prouinciam deferamus, quibus priora deberi, præcedenti capite multis & grauibus causis demonstratum est. Quapropter & hinc colligitur Potestatem Ecclesiasticam apud Laicos & Politicum Magistratum esse non posse.

SED tamen quod dicimus melius perspicietur, si quæ olim 438
in Ecclesiam ad cultum diuinum piè religioseque peragendum inuecta fuerunt, ostenderimus singula à viris Ecclesiasticis aut profecta, aut ab ijsdẽ esse approbata & confirmata: Magistratus secularis aut exiguas, aut nullas partes fuisse. Id ex Personis, Locis, Temporibus atq; Rebus, quorum in cultu diuino vsus est, colligitur.

In

439 IN perſonis quædam ſunt, quæ à diuinis functionibus arcent; quædam quæ, vt ſuo officio probè fungantur, requiruntur. Priora illa ad tria genera reuocari poſſunt, quorum primum defectus eſt; ob quem reijciuntur, qui ſeruitutem ſeruiunt; qui ætatem legitimam non habent; qui ratione ſunt deſtituti; qui ob membrum turpemq; corporis aut generis maculam, aut illegitimam natiuitatem infames ſunt.

440 SECVNDO arcent, quæ cum Euchariſtiæ Sacramento (ad quod conficiendum, offerendum & diſpenſandum ſacri homines aſſumuntur) non ita, vt decet, conueniunt. Cùm enim hoc ſingularis Chriſti erga nos amoris grauiſsimum ſit ſymbolum, Verbiq; vnionem cum carne ſignificet, conſtitutum eſt, ne aut Bigami, qui vnam Chriſti vnionem; aut Iuſtitię in cauſa ſanguinis Adminiſtratores, qui Chriſti manſuetudinē non ita referre poſſunt, ad ſacros Ordines & Eccleſiaſticas fūctiones promoueantur.

441 SVNT tertiò, qui ob grauia quædam crimina non apti cenſentur; vti à Fide atque item à Religione, quam profeſsi ſunt, Apoſtatæ: Illi etiam, qui Ordines nondum habitos exercuerunt: quique ob notorium crimen infames: denique quicunque hominis illicita aut cæde aut mutilatione noti ſunt.

442 VT verò ſuo officio probè fungantur, alia atque alia neneceſſaria ſunt. Quædam ab Epiſcopis; quædam ab ijs, qui aliorum curam ſuſceperunt, & Parochi dicuntur; quædā ab ijs, qui hac cura vacant, & ſacrificijs atque orationibus tātum ſalutem proximi promouent, requiruntur. Sed tamen omnibus his commune eſt, vt Horarum penſum quotidiè ſoluant; vt caſte viuant; vt vitæ honeſtate atque integritate alijs præluceant; vt ſancti ſint, id eſt, abſque peccato mortali, dum ſancta vaſa ferunt, & his ſimilia.

AN verò in his omnibus conſtituendis aliquas ſibi partes Rerump. Principes tribuere poſſunt? An non omnia ab

ab Eccleſiaſtico Magiſtratu definita fuerunt & conſtituta? Singula demonſtrare difficile non eſt: ſed quia hic omnes conſentiunt, & ſingulorum probationem breuitas inſtituta non permittit; quod de Perſonis certum eſt, inquiramus in Locis.

LOCVM ad diuinum cultum facere; & natura, & vetus 443
lex, & omnium temporum, quibus Chriſtiana Religio
floruit, probat conſuetudo. Non omnibus locis conuentus ſacri habiti ſunt; neque vbiuis ſine diſcrimine diuina myſteria celebrata. In veteri lege templum Hieroſolymis erat, vbi adorare Deum oportebat. Et conuenit, vt quemadmodũ certæ ſunt Perſonæ diuinis officijs deſtinatæ, ita certa ſint Loca, in quibus diuinus cultus peragatur. Vtrũ verò hic vllũ habeat ius aut hactenus habuerit, Ciuilis Magiſtra. aut in poſterum præſcribere poſsit, ex quatuor poteſt deprehendi; vſu templorum; eorum conſecratione; profanatione, & immunitate.

VSVS templorum eſt, vt orationes Deo ibidem fiant,
verbum Dei populo explicetur; offeratur ſacrificium
Miſſæ; Sacramenta adminiſtrentur. Et hæc quidem digniſsi- 444
ma eſſe, quę ſi in ſacro loco peragantur omnia, ſinguli iudicant; ſed vt fiant, conſtitutum eſt Eccleſiaſticis ſanctionibus.

QVOD autem ab Epiſcopo conſecrentur; quòd varijs
rationibus prophanentur; quod his ſe ſeruare Rei poſ- 445
ſint; quorum quæſo voluntate ſancitum eſt? Non negamus quin Principum ſecularium etiam hac in cauſa egregia ſuppetant exempla, inſignes leges, graues conſtitutiones: veruntamen hic non tam conſtituere quicquam, quam quæ Eccleſiaſticus Senatus iam pridem conſtituiſſet, rata habere, atque ſua
ſententia confirmare voluerunt. 446

TEMPORA, quæ diuino cultui ſeruiunt apud Chriſtianos duplicia ſunt: quibuſdam ſacris officijs vacamus: quibuſdam vt vacare poſsimus, nos comparamus. E priorum genere ſunt feſti dies, quibus ſe totos Chriſtiani ſacris functionibus impendũt: poſteriora ſunt, à quibusdam cibis abſtinen-

tia, aut ieiunia mandantur, atque vt commodius diuinis rebus mens vacet, efficitur.

448 IN his posterioribus quid iam Politicus Magistratus præscribere posit, ex superiorum temporum consuetudine in ijs rebus, quæ prohibitæ sunt; in prioribus ex prohibitis atque præceptis deprehendere necesse est. Illis esus carnium, & lautior cœna interdicitur: his prohibentur seruilia officia: præcipitur autem, vt sacrum Missæ officium reuerenter audiatur, & si quæ præterea huc faciunt. Quorum vero hæc statuta sunt? ieiunia, inquam, abstinentiæ, diesque festi? nonne ab Ecclesiasticis viris profecta sunt omnia?

449 NON negamus, quin fuerint Christiani Principes, qui pio in Deū Zelo, & diuinum cultum amplificandi gratia dies, aliquos in suis prouincijs, quibus Sanctos quosdam singulari pietate prosequerentur constituerint: sed tamen vt rata esset huiusmodi constitutio, eorum, quibus Ecclesiarum gubernatio concredita fuit, calculum sententiamque implorauerunt. Quare, & penes se non esse; & esse penes Ecclesiæ Prælatos Potestatem diuini cultus formam rationemq; præscribendi, demonstrârunt.

450 RES, quibus sacer cultus peragitur, præcipuæ sunt preces publicæ, sacrificia, Sacramenta, atque cum omnibus his coniuncti ritus & cæremoniæ. Ex his quædam diuinam habent authoritatem, quædam humanam. Diuinam preces, sacrificia, Sacramenta: Humanam ritus & cæremoniæ. In prioribus illis, quia facultates hominum excedunt, nihil habet aut Pontificum aut Imperatorum authoritas: in posterioribus plurimum. In his igitur quis rationē modumq; præscribere nunc debeat ex priorum temporum historia definiamus.

451 RITVS & ceremoniæ cum tribus illis generibus, quæ authoritatem diuinam habent, coniuncta sunt. In Precib. publicis attenduntur numerus precum, personæ quibus easdem incumbit munus persoluendi, modus item, tempus, locus, atq; ordo. Hæc omnia, vt suo probè officio Ecclesiastici fungantur, requiruntur.

Quæ

QVÆ ex humana inſtitutione Sacrificia poſtulant, tripli- 442
cis ſunt generis. Quædam illa antecedunt, quædã cum ipſis ſunt coniuncta, quædam ſequuntur. Antecedunt ieiunium naturale, lectio Horarum Canonicarum, certũ definitumque tempus, & in eo qui ſibi peccati mortalis conſcius eſt, Samentalis Confeſsio.

CVM ipſis coniuncta ſunt conueniens locus, ſacer, non 443
interdictus, & non pollutus: veſtes quæ ſacrificantem ornent ſacræ, altare, mappæ, corporale, calix, patena, liber, cãdelæ, Adminiſtri. Accedunt ad hæc, ne longo tẽpore Sacrificia intermittantur, ne ab eodem, niſi fortè aliud poſtulet neceſsitas, eodem die repetantur, & his ſimilia.

IN Sacramentis ſunt plurima, quæ & ipſa hominum authoritate magnis grauiſsimiſque ex cauſis inſtituta ſunt. Cùm enim ſint quædam diuina medicamẽta noſtri Samaritani; & gratiam nobis neceſſariam eamque vberrimam non 444
ſignificent modo, verum etiam ceu vaſa quædam ſacra contineant; conueniebat, vt primum hanc ob cauſam ipſis cæremoniæ ſolemnes adhiberentur. Deinde oportebat illos quoque admoneri, qui Sacramentorum adminiſtrationis ſpectatores eſſent, nihil in ijs prophanum geri; ſed arcana quædam, & diuinis plena myſterijs, quæ ſingularem reuerentiam poſtulant. Oportebat etiam interiorem ad Sacramentorum dignam perceptionem, quem Deus præcipuè requirit, cultum promoueri: ad quem non parum faciunt cæremoniæ. Denique admonendi erant hac ratione Sacramenta adminiſtrantes, vt cum dignitate & fructu munus ſuum pie religioſeque obirent. 445

QVÆCVNQVE vero in omnibus & ſingulis ſunt, quæ ex hominum voluntate authoritatem habent in his cæremonijs, authores ſuos Eccleſiaſticum Magiſtratum, non vero Ciuilem agnoſcunt. Id in Baptiſmo quod regenerationis Sacramentũ eſt, oſtẽdunt Cathechiſmus, Suſceptores, nominis & manuũ impoſitio, crucis ſignatiões, abrenunciationes Sath.

vnctiones, trina immersio, vesti candida, cereus, pedum (quæ quandoque in vsu fuit) ablutio, multiplices exorcismi, atque his similia.

446 IN Confirmatione docent Chrismatis in die cœnæ Domini consecratio; Patrini, qui confirmandi in se curam suscipiunt; ieiunium, quod olim tam in conferente, quàm suscipiente requirebatur; alapa ab Episcopo confirmato inflicta; denique osculum, quo datur intelligi cœlestis gratiæ plenitudinem ac pacem, quæ omnem sensum superat, hic conferri.

447 IN Eucharistia probant tempus Paschæ, quo singulis communio præcipitur; modus, quo nunc sub altera, nunc sub duplici specie porrecta est; personarum conditio, quæ annos discretionis, ieiunium atque tanto Sacramento dignam reuerentiam & munditiam exigit; Denique cultus, qui alius atque alius fuit, pro temporum ac locorum diuersitate.

448 IN Pœnitentia idem commonstrant tempus, quo singulis annis proprio Parocho facienda præcipitur Cõfeßio; quorundam difficiliorum casuum reseruationes; & quæ de publicæ pœnitentiæ consuetudine, subiecto, natura, fine atq; officijs plurima sacris Canonibus continentur.

449 IN Ordine docent quæ in ordinandis requiritur ætas, morum probitas, doctrinæ atque vitæ continentia, tempus, quod suscipiendis Ordinibus constitutum est: & fortè plurima illorum, quæ de diuersis ordinandorum gradibus, eorumque diuersis functionibus, paßim apud antiquißimos Scriptores inueniuntur.

450 IN extrema vnctione docent sanctiones, quibus cauetur, ne quibusuis hoc Sacramentum conferatur; ne eodẽ morbo laborantibus, nisi status infirmi alius sit, sæpius administretur: atque item illæ, quæ præscribunt, quæ partes vngendæ, & qua ratione proximus in ardua illa atque perdifficili hora iuuari poßit.

451 DENIQVE in Matrimonio idem docent, quæ vocamus Sponsalia, præuiæ proclamationes, primarum nuptiarũ benedictiones, Matrimonia clandestina nunc rata, nunc prohibita,

prohibita, tempora Interdicti; & pleraque, quæ Matrimonia impediunt ratione affinitatis, criminis, disparitatis cultus, Ordinis, honestatis, maleficij, frigiditatis, furiæ, defectus ætatis, & cognationis, siue ea ex parte propagationis, siue ex Sacramento, siue ex lege initium habeat

EX quibus concludimus; quòd cum in his omnibus, quibus diuinus cultus perficitur & conseruatur; solius Ecclesiastici Magistratus præcepta, prohibitiones & instituta deprehendamus; nouum quid moliantur, qui præter superiorum temporum consuetudinem, formam diuini cultus à Laicis petēdam censent, & ad eorundem arbitrium singula volunt constituenda. 462

ET præterquam quòd causam suam Maiorum exemplis probare non possunt; etiam nullum habent ius, quo se tueantur. Solùm fortasse Ecclesiasticorum hominum negligētiam prætendent, qui cùm officio suo non faciant satis, ius formam cultus describendi amisisse iudicantur. 463

SED primum hîc demonstrandum est, tantam ipsorū negligentiam esse; vt ab his expectari possit nihil: & rei agendæ tantam esse necessitatem, vt moram non patiatur. Si, quod Pastorum est, non faciunt Pastores; num Pastorum officium oues vsurpabunt? 464

NON hoc suo exemplo docuit insignis apud Iudęos Rex Ioas, qui cum negligentiores obseruasset Sacerdotes; Sacerdotes sui officij admonuit, non Sacerdotum munia vsurpauit. Non docuit Theodosius. Si enormiter (inquit) suam functionem Ecclesiarum Ministri negligant, eauè abutantur, rectè à Magistratu eam functionem attingi & Ecclesiam ab eo admoneri, vt synceros ministros constituat, putamus, 465 *2. par. 24.* *Tri. hi. l. 6. c. 7.*

VERVM demus ita esse, vt apud quemcunq; Politicum Magistratum ius sit rationem cultus diuini præscribendi; quàm varios quæso, quamque multiplices formas statim in Ecclesia Christi reperiemus? præsertim si singuli pro sua autho- 466

ritate (quod profectò & volent & debebunt) atq; potestate modum suis Ecclesijs dare velint? Neque enim mihi persuadere possum, vt omnium, qui toto terrarum orbe diffusi sunt, vna sit sententia, vna cogitatio.

467 ATQVE aliter fieri non posse, vel iam suo exemplo docent Protestantium Ecclesiæ quædam, in quibus, quia à prisca Maiorum consuetudine discessum est, hystera protera videmus omnia: Ipsorumque testimonio damnatur, quod die Resurrectionis Christi, historia de Christi Natiuitate, die Natalis, de passione eiusdem &c. populo explicetur. Sed satis.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Ex officio administrandi Sacramenta, quod Ecclesiasticorum hominum proprium est, demonstratur Ecclesiasticam Potestatem apud Laicos esse non posse.

468 SVPERIVS docuimus idcirco apud Laicos Ecclesiasticam Potestatem esse non posse, quòd Ecclesiastica munia exequi nequeant. Hoc cùm in Ministrorum Ecclesiæ Electione, Ordinatione, atq; Vocatione; in Potestate doctrinam fidei tradendi, & cultus diuini formam præscribendi ostenderimus; restat, etiam in Sacramentorum administratione declaremus.

469 CATHOLICORVM sententia his limitibus concluditur, Non omnibus indifferenter, sed sacris hominibus incumbere & diuinitus iniunctum esse, vt Sacramenta conferant, administrent: dispensent, vt bene D. Paulus dixerit, Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei: Et rectè tulerit anathema Concilium Tridentinum in eos, qui dixerint, Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandis potestatem habere.

1. Cor. 10.

Can. 10.

Verum

VERVM enimuero quia Sacramentorum omnium conditio vna non eſt, ſed alia alijs magis neceſſaria; nonnullis etiam ius quoddam in Eccleſia obtinetur: hinc eſt, vt in neceſſarijs illis, non ſoli adhibendi ſint ſacri homines; in alijs non quicunque ſacri ſufficere poſsint. 470

BAPTISMVS enim cùm ad ſalutem vitamque æternam ianua ſit, & maximè neceſſarium omnibus nouæ Legis Sacramentum; etiam à non ſacris, etiam à non Chriſtianis, quinimo perfidis Iudæis, impijs gentibus, atque à fide Chriſti Apoſtatis adminiſtrari poteſt, ſi ita neceſsitas poſtulat: quæ ſi nulla eſt, ſuum Ordinarium Miniſtrum habet Sacerdotē, quemadmodum Pœnitentia, Extrema Vnctio, atq; Euchariſtia. 471

PORRO in adminiſtratione Sacramentorum, Sacerdotū omnium eadem eſt conditio; nimirum non ſatis illis eſſe ſacris Ordinibus initiatos eſſe, vt Sacramenta adminiſtrent; ſed oportere, vt Iuriſdictionem atq; Poteſtatem in Chriſtianū populum, ſuperiorum authoritate habeant. 472

HÆC adeo Sacerdotibus neceſſaria eſt, vt ſine ea, qui abſolutionis beneficium in Pœnitentiæ Sacramento conferre tentat, nihil efficiat; qui cætera Sacramenta adminiſtrat, grauiter peccet, & magnis ſæpe ſe difficultatibus inuoluat, niſi aliud neceſsitas, cui lex omnia permittit, perſuadeat. 473

EADEM Iuriſdictionis Poteſtas, poſt Concilij Trident. definitionem, ad Matrimonium requiritur, quod nullū ratum ac legitimum cenſet, niſi duorum aut trium teſtium, & proprij Parochi, aut cum eius facultate, alterius præſentia confirmatum fuerit. Hac tamen Concilij conſtitutione, Sacerdos non Miniſter Sacramenti conſtituitur, quemadmodum neque qui adhibentur teſtes. Proprium hoc habet Matrimonium, vt eius Miniſter ſit non Sacerdos, aut ſacris Ordinibus initiatus, ſed omnis qui Matrimonium contrahit. Niſi fortè idcirco Sacerdotem quis Miniſtrum dicat, quòd contrahentibus adeſſe ſoleat, & iiſdem iuxta antiquiſsimam ab Apoſtolorum temporibus receptam conſuetudinem benedicat. 474

Licet

475 LICET verò ad omnia Sacramenta diſpenſanda Poteſtas hæc requiratur, non tamen neceſſaria eſt in Sacramentorum omnium confectione. Quoniam vt Sacramentum Euchariſtiæ conficiat Miniſter, ſufficit ad Sacerdotij gradum promotum eſſe: in quo quia omnis actio eſt in Chriſti corpus verũ Ordinis non Iuriſdictionis poteſtas (vt in ſcholis loquimur) quæ ad Chriſti myſticum corpus ſe extendit, requiritur.

476 DVORVM reliquorum, Ordinis inquam atq; Confirmationis, proprius Miniſter Epiſcopus eſt. Id & Maiorum conſenſus probat, & ſacræ litteræ manifeſtis argumentis confirmant. Præterea his ſacramentis initiati, partim operam ſuam in Eccleſia regenda Epiſcopis impendere poſſunt; partim ad Chriſtianam militiam admittuntur, & ad nomen Chriſti libere, quando ſic neceſſe eſt, confitendum armantur; quocirca conueniebat illis horum adminiſtratio eſſet commiſſa, quibus Eccleſiæ gubernatio concredita eſt.

477 HÆC Catholicorum de Sacramentorum Adminiſtris ſententia eſt. Quæ quidem ſi vera eſt, vt eſt veriſsima; ſequitur Eccleſiaſticam Poteſtatem in Eccleſia apud prophanos homines non eſſe, vt quorum nullæ partes ſunt in Sacramentorum adminiſtratione.

478 ET quamuis in doctrina Sacramentorum dyſdiapoſon à nobis Aduerſarij, & inter ſe diſsentiant; & quædam ſubſannent; quædam hominum velint eſſe inuenta; quædam etiã pro magicis ſuperſtitionibus habeant: in Sacramentorum tamen Miniſtris nobis quodammodo ſuffragari videntur, quando, vt ordine omnia fiant (inquit Chemnitius) alios quàm vocatos & miſſos pro Miniſtris agnoſcere nolunt.

In can. 10.

479 SED profectò hæc ipſorum doctrina egregiè contra ipſos pro nobis militat. Quid ita? Quoniam Sacramenta adminiſtrare non poſſunt, niſi qui miſſi ſunt atq; vocati: At miſſi nõ ſunt Magiſtratus Politici, neque vocati: Non igitur poſſunt Sacramenta adminiſtrare. Si verò adminiſtrare non poſſunt, quomodo quęſo penes ipſos Eccleſiaſtica Poteſtas cõſtituta eſt?

AB hoc argumento ſi ſe Aduerſarij volent expedire, vnũ ex tribus oportet fateantur: nempe aut miſſos etiam, & vocatos eſſe Politicos Magiſtratus: aut, etſi miſſi non ſint, poſſe nihilominus Sacramenta adminiſtrare: aut ſi horum neutrũ verum eſt, poſſe alijs hanc Poteſtatẽ Sacramenta adminiſtrãdi facere, etiamſi ipſi adminiſtrare nequeant. 480

MISSOS eſſe & vocatos neſcio vtrum hactenus libere quis fateri auſus fuerit. 481 Eſt quidem omnis Poteſtas à Deo: ſed vt omnis omnia munia obeat, à Deo non eſt. Id vel vnius Oziæ Regis exemplum clariſsime demonſtrat. *Rom.13.*

SECVNDVM quoque dici non poteſt, quoniam, Aduerſarijs teſtibus, non niſi qui miſsi ſunt, facultatem Sacramenta diſpenſandi habent. 482 Verum ſit ita, pro ſua authoritate etiam non miſsi Magiſtratus facultatem hanc habeant; Quid igitur eſt, quod facultate, quam habent, nec hactenus ſint vſi; nec noſtris temporibus vtantur? An quia ipſorũ illa conditio eſt, vt ad Sacramentorum adminiſtrationem ſe dimittere turpe iudicant? Sed nec Sceptra Regum cum Sacerdotum officijs conferri poſſe, grauiſsimi ſanctiſsimique teſtantnr authores.

PRÆTEREA ſi Sacramentorum adminiſtratio ipſis, quia rerum publicarum ſunt adminiſtratores, commiſſa eſt; omnes, quibus Rempub gubernare continget, Sacramenta adminiſtrare poterunt, etiam fœminæ, etiam pueri, per quos noſtra ætate Regna vidimus gubernari. 483 Quæ tamen ſi abſurda non ſunt, quæſo quid eſt abſurdum?

RESPONDEANT etiam Aduerſarij, num Magiſtratus ſoli Sacramenta poſsint diſpenſare, an poſsint etiã quicunque Chriſti doctrinam profitentur. 484 Prius cur confiteantur, nullam habent cauſam; ſi poſterius admittunt, an non quamprimum anus aliqua, aut inter pocula leno conſecrationis verba ſuper pane proferet & vino; Chriſti corporis atque ſanguinis Sacramenta confecerit? Quæ hæc porrò inſania eſt? profecto nec ipſe Smidelinus hoc vel mulieribus ve agricolis VVirtenburgenſibus permittit. *Contra librũ Mon. fol. 144.*

SED forte, quod tertio loco respondere possunt Aduersarij, quam ipsi non habent, alijs facultatem facere possunt, vt Sacramenta administrent. Dici hoc potest, probari non potest. Nunquid quod non habent, possunt dare? Deinde si alijs possunt, cur nequeant tribuere sibi. Verum pluribus opus non est; supra demonstrauimus, non penes hos, sed Ecclesiasticum Magistratum omnẽ mittendi ordinandiq; Potestatẽ cõsistere.

FINIS.

Sententia D. Ioannis Chrysostomi de Ecclesiastici status dignitate.

hom: 5. de verbis Isaiæ Vidi Dominum. Sacerdotium, ait, Principatus est, ipso etiã Regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpurã, neq; diadema, neq; vestes aureas. vmbræ sunt isthaec omnia, vernisq; flosculis leuiora Omnis .n. inquit. gloria flos graminis, etiã si ipsam gloriam regalẽ dixeris. Nè, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimẽ quantũ absit Rex à Sacerdote, expẽde modũ potestatis vtriq; traditæ: videbis Sacerdotẽ multo sublimiùs Rege sedentem. Quamquam enim nobis admirandus videtur thronus Regius ob gemmas affixas, & aurum quo obcinctus est: tamen rerum terrrnarum administrationem sortitus est, nec vltra potestatem hanc præterea quicquam habet authoritatis. Verùm Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cælestibus *Matth. 18.* negotijs pronunciandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum Rex: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem authoritatem sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra. Dominus sequitur seruum: & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos qui offendimus, eripiens ex illius manibus Eoque Deus ipsum Regale caput Sacerdotis manibus subiecit,

nos,

nos erudiēs, quòd hic princeps est illo maior. Siquidem id quod minus est, benedictionem accipit ab eo, quod præstantius est.

D. Cyprianus

DOMINVS, inquit, Deus in Deuteronomio dicit: Et homo quicunque fuerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem aut Iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille: & omnis populus cùm audierit, timebit, & non agent impiè etiam nunc. Et vt sciamus hanc Dei vocem, cum vera & summa maiestate processisse ad honorandos ac vindicandos Sacerdotes suos, cum aduersus Aaron Sacerdotem tres de ministris Chore, Dathan & Abiron ausi sunt superbire & ceruicem suam extollere, & Sacerdoti præposito se adæquare, hiatu terræ absorpti ac deuorati, pœnas statim Sacrilegæ audaciæ persoluerunt. Nec soli illi, sed & cæteri ducēti quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente à Domino igne consumpti sunt: vt probaretur, Sacerdotes Dei ab eo qui Sacerdotes facit, vindicari. In libro quoque Regnorū cùm Samuel Sacerdos à Iudæorum populo ob senectutem, sicut tu modò, contemnaretur: exclamauit iratus Dominus, & dixit: Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. Et vt hoc vlcisceretur, excitauit eis Saul regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas superbū populum calcaret & premeret, vt contemptus Sacerdos, de superbo Populo vltione diuina vindicaretur. Sed & Salomon in spiritu sancto constitutus, testatur & docet, quæ sit Sacerdotalis authoritas & potestas, dicens: Ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes eius sanctifica. Et iterùm: Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes eius. Quorum præceptorum memor beatus Apostolus Paulus, secundum quod in Actibus Apostolorum legimus, cùm ei diceretur. Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo? respondit, & dixit: Nesciebam, fratres, quia pontifex est: scriptum est enim. Principem populi tui non maledices. Dominus etiam noster ipse Iesus Christus Rex & iudex & Deus noster, vsque ad passionis diem seruauit

lib. 3. epist. 9. ad Rogatianū

1. Reg. 8.

Eccle. 7.

Act. 23.

Exod. 26.

honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamuis illi nec timo-
Matth. 8. rem Dei, nec agnitionem Christi seruâssent. Nam cùm leprosũ
emundâsset, dixit ei: Vade & monstra te sacerdoti, & offer do-
num. humilitate ea, qua nos quoque esse humiles docuit, Sa-
cerdotem adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum. Item
sub ictu passionis cum alapam accepisset, & ei diceretur. Sic
Ioan. 18. respondes Pontifici? nil ille contumeliosè locutus est in perso-
nam Pontificis: sed magis innocentiam suam tuitus est, dicens
Si malè locutus sum, exprobra de malo: si autem benè, quid
me cædis: Quæ omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atq; pa-
tienter, vt nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum
Docuit enim Sacerdotes veros legitimè plenè honorari, dum
circa falsos Sacerdotes ipse talis extitit. Et paulò post: Hæc sunt
enim initia hæreticorum, & ortus atq; conatus schismaticorũ
malè cogitantium, vt sibi placeant, vt præpositum superbo ti-
more contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare propha
num foris collocatur, sic contra pacem Christi & ordinationem
atq; vnitatem Dei rebellatur. Hæc Cyprianus.

S. Bernardus

MONSTROSA res est, inquit, gradus summus, & animus infirmus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus ociosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; caput canum, & cor vanum; facies rugosa, & lingua nugosa; ingens authoritas, & nutans stabilitas.



ERRATA SIC CORRIGE.

THESI 3. in domini. 8. posteriorem. 30 eandem. 32 hoc. 46 libenter. 56. possit. 78 Episcopos. 122. minisq. 156 vncinis. 174 aduersus verbi Dei corruptores. 179 imponunto. 188 iam in iudicio. 193 si derelicto. 215 testatur. 219 erga Clerum. ibidem Regibus Romanis. 226 docet. ibidem agni. 233 locum non. 239 qua id. 240 illi, qui. 247. Christianæ sunt duces. 252 & professi. 263 ac commendante. 264 vere dicamus. 268 paci &. 269 hac ratione. 277 modo, suffragium. 285. detulerũt) toti. 286 constituta. 317 iubeat. 321 nunquid non. 325 committat, quantũ 329 negligat. 336 audire. nec exemplum. 348 credant. 360 operam suam ibidem Domini. 362 factam. ibidem debuerint resp. 381 prophanos. 383. prædicandi. ibidem tibicinis. 387. salus. 392 hanc potestatem. 395 propria 401 PATRES. 403. fuerit. 419 petendam. 420 tueatur. 424 hac 430 primum. ibidem eo, de 431 oris 436 controuersijs 446 sunt, quibus à quibusdam 445. vestis. corrigendi. ibidem numeri. &c.



